

**Dissertatio inauguralis medica, de ischiadico malo ... / [Johann Gottfried Knochenwebel].**

**Contributors**

Knochenwebel, Johann Gottfried.  
Alberti, Michael, 1682-1757.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeb : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1729]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dvmnwa7r>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
SCHIADICO MALO,

QUAM AUSPICE DEO PROPITIO

*Et Consensu atque Auctoritate Gratosæ Facultatis Medicæ,*

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

ON. D. MICHAELE ALBERTI,

CR. MAJEST. REG. BORUSSIÆ AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO,  
MEDIC. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,*

PRO GRADU DOCTORIS,

*omnisque in Medicina Honoribus & Privilegiis Doctoralibus legitime impetrandis,*

HORIS LOCOQUE CONSVETIS, ANNO MDCCXXIX. D. DEC.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBIICIET

RESPONDENS

JOHANNES GODOFREDUS Knochenweber,

PALÆO - DRESDENSIS.





DISSERTATIO - MEDICINALIS MEDICA

DE

# CHLADICO MALO

IN ALMA MATER HORTICULTURAE  
P R E S I D E

## D. MICHAEL ALBERTI

PRO GRADU DOCTORIS  
FACULTATIS MEDICAE PRAGENSIS

RESPONDENS

### JOHANNES GODOFREDO

PRAGENSIS







## PROOEMIUM



### Orborum & Dolorum

corporis humani ingens est multitudo, ut non modo plurimæ illius partes doloribus præcipue subjectæ sint, sed & varias illorum species experiantur: id quod *Job. Chicotius in Ep.*

*& Diff. Med.* nec non *Piso de magna dolorum tolerantia obs.* 98. *Sebizius, Cellius & D. D. Præses in diff. & tr. de doloribus* fusiustestantur: Sed quid opus est, partes deflere, (quæ videlicet tot calamitatibus obnoxia sunt) *tota vita* flebilis est: *urgebunt nova incommoda, priusquam veteribus satisfeceris: dixit Seneca in Consol. ad Marc. c. X.* neque tantum ejusmodi dolorificæ afflictiones per individua, aut etiam tempora, variant, sed interdum de unico ægrotante valet, quod *Esaias cap. I. v. 5.* de Statu Ecclesiastico & Politico populi Judaici exclamavit: *totum caput in morbum abiit & totum cor est languidum:*



hinc juxta v. 6. *a vola pedis usque ad caput non est in eo integritas*; in sensu non morali, sed physico quidam ægri, chronico morbo afflicti nunc intrinsecus, nunc extrinsecus, nunc in hac, nunc in alia parte acerbissimos experiuntur dolores: siquidem alias tota vita humana doloribus intermixta est: hinc *Socrates ap. Platon. in Philebo p. 395. eloquitur: ratio nobis hæc dicat, nos non modo in lamentationibus & in tragædiis, neque in fabulis tantum, sed in totius vitæ tragædia atque comædia dolores voluptatibus immisceri aliis sexcentis. Neque ulla dies, uti sine linea, ita sine dolore, five spiritualis, five naturalis, five moralis, five physicus sit, transigitur: quam ob rem & Stoici homines, propterea in communi vitæ statu, non insensiles fuerunt: quicquid etiam de ipsorum apathia circumfertur, quibus vicissim, sicut aliis etiam hominibus patientia dolorum Medicina fuit, quod remedium inter alios *Rejes in Camp. Elys. juc. Quæst. 88. n. 10. 11. extollit: tam lubrica itaque res est, admodum valida corporis constitutio, ut corpora ubi ad summum proventa sunt vigorem, non consistant, sed momento in contrarium impellantur juxta Plutarchum in Sympos. Lib. 5. q. 7. quam veritatem e Medicis Hippocrates, Galenus, Celsus & multi alii confirmarunt: Quando vero nunc meditationem dolorum penitus, aut curatius suscipimus, tunc ad generalem & abstractam adhuc disquisitionem pertinet animadversio, ob quam causam corpus *internum*, quoad plurimas partes, *sensile* sit, adeoque dolore afficiatur: etenim si singuli motus & effectus ex necessitate contingere deberent, sensatio interna nullius utilitatis, adeoque**

super-



superfluum & magis inimicum, molestum & adversum attributum esset, quale quid vero de Creatore corporis, vel tantum opinari, impium esset, quod corporis internæ partes sensu præditæ existant: ecquis ita lepidi sensus esset, ut existimaret, post lapsum demum corpus intrinsecus sensibile redditum fuisse: si quidem absque omni dubio ante lapsum organa, aut instrumenta materialia, ad sensationem necessaria intima corporis loca & repagula penetrarunt: Si porro corpus internum sensibile est, ita doloribus æque internis ac externis obnoxium existit; quam ob rem ratio formalis doloris præcipue in Sensu hæret: Sensatio vero in genuina sua forma est mentalis perceptio: nam definitio *Sensus a Mart. Schockio in tr. de Scepticismo Part. 1. Lib. 3. cap. 1. p. 189.* prolata, quod sit *vis animæ sensitivæ sensibilia objecta percipiens*, ridiculam olet petitionem principii: Dolor proinde sensu medico, est Sensatio adversa, aut molesta in corpore: Corpus itaq; non dolet, sed causa illa percipiens, judicans, æstimans, intelligens sentit dolorem, qualis non alia, quam hominis anima est: inde sequitur, quod anima non cogitans, nec actu reflexivo operosa, non ratiocinans, non præfigurans, non volens, aut nolens, hac doloris formatione commercium habeat cum corpore, & quidem illius fabrica & deinde etiam cum internis functionibus: quod manifestum documentum contra illos est, qui ridicula argumentatione urgent, quasi anima propterea natura corporis esse nequeat, quia de functionibus, vitalem œconomiam concernentibus, non repræsentativa,



sibi que crasse conscia idea judicare, neque easdem pro frivolo nutu variare queat: quod levissimi momenti argumentum innumeris rationibus enervari potest & enervatum est. Dolet itaque anima, i. e. percipit aliquid extraordinarium molestum, aut adversum in suo corpore: & quidem sæpe dolet in salutem secundum *Laurentium in Homilia de pœnit. crux & arbor optabilis, salubri medicamine plena*: etenim qui dolorem non sentit, ille neque malum sentit, neque ægrum se esse advertit & judicat: unde sensuum & dolorum, vigente adhuc morbo & operosa causa morbi, abolitio & imminutio semper mali prælagii signum est. Sicut itaque externum corpus eum ob finem Sensu pariter præditum est, quo diversa objecta, illud afficientia, rite dijudicentur, an amica, an inimica, an grata, an adversa, an fructuosa, an perniciofa, an necessaria an superflua &c. existant, quo juxta hanc æstimationem anima connexas suas operationes ad convenientem finem perducere queat: ita etiam Sensatio in interioribus, tenerioribus & nobilioribus corporis regionibus & partibus valde utilis & necessaria est, quoniam hæc varia etiam objecta diversæ relationis & operationis afficiunt, quæ sit tantam vim, ut menstruum corrosivum in metallum, haberent, facile in lethiferas alterationes corpus conjicerent: ita v.g. si bilis causticæ effectus corrosivus in intestina & ventriculum non perciperetur, hæcque perceptio certis signis se non proderet, tunc illa neque vomitu, nec alvi fluxu ejiceretur, neque medicus auxiliatrices suas manus conferre



ferre posset, quoniam ignoti nulla cupido! Si in certis locis membranosis, tendinosisque coacervati & concentrati hæreant humores serosi, valde falsi & acres, & partes tales sensu (ut ita dicamus) præditæ haud essent, tunc nullus perciperetur perniciosus inde proveniens effectus, neque ullus motus susciperetur, quo mediante infensi tales humores tempestive removeri deberent, neq; medico innotesceret causa & locus & sedes morbi, ut propterea ipsi occasio, qua officio suo fungi debet, expiraret: quam ob rem hoc etiam respectu multi morbi, salubritatem quandam complectuntur, & ex parte vera est *Salviani in Epist. ad Caturam* sententia, *mibi genus quoddam sanitatis esse videtur, hominem interdum non esse sanum*; id quod plenius & solidius *D. D. Præses* demonstravit in *disp. de Morborum salubritate. conf. Langius Miscell. curios. 34. p. 87. seq. 96. §. 58. de Natura morborum effectrice*: Et tali oculo vita naturalis advertenda est, in qua nihil stabile, sed juxta *Syraciden cap. XL. 1--3. negotium magnum creatum est omni homini, & jugum grave super filios Adam, a die exitus e ventre matris eorum, usque ad diem in sepultura in matre omnium*; v. 2. *Cogitationes eorum & timorem cordis, sollicitudo expectationis, dies mortis*; v. 3. *a sedente super throno in gloria & usque ad humiliatum in terram & cinerem*: sive secundum *Chrysostomum Tom. II. Serm. 22. quotidie in omni ætate contemplamur interitum, in cunctisque ex rerum eventu instabilitas quædam exprimitur & significatur, non hyems, non æstas, non ver, non autumnus perpetuo manent, sed decurrunt omnia, evolant & dilabuntur*: & quod antea de doloribus indicavimus, id

tan.



tanto magis annotatione dignum est, siquidem quidam morbi eximium acerbissimorum dolorum comitatum complectuntur, qui interdum internum, nonnunquam externum corpus, quandoque utramque illius regionem afficiunt, quales dolorificos affectus *Forestus Lib. 29.* curatori pertractavit studio, & circa finem *obs. 28.* dolores externa corporis membra insultantes & cruciantes annotavit: Dum præsentis conatu & proposito nostri officii memores sumus, placet pro themate Inauguralis Speciminis arduum talem affectum, qui cum intricato & refractario sæpe, dolorifico cruciatu se exserit, qui etiam dum externum corpus tantum affligere videtur, tamen ut plurimum intimiores radices possidet, & ISCHIADICUM MALUM constituit, feligere, cujus indolem brevi explicatione indicabimus & delineabimus: Faxit cœlestis benedictio, ut nostrum institutum ad vota succedat.

## §. I.

**P**Ræsentis affectus tractationem suscipientes, non in *nominali* explicatione diu hæere lubet, quam notationem ejusque cognitionem *præsupponimus*, propterea que indicamus, quod *denominatio* hujus affectus *regionem* quidem, ast non *propriam* sedem, aut locum *genuinum* complectatur, quare ab ossibus, *Galeno* dictis innominatis, ab *Homero in Iliade* ἰχίς ὀσά, *Latinis Ilium ossa*, vocatis, appellationem suam nactus est, interim totum hoc os secundum *Spigelium* utpote *innominatum* dictum, in *Ilium, Coxendicis & Pubis* dividitur,



tur, ex quibus *medium præc. Ischium, & dolores* circa illam regionem, obtingentes *Ischiadici* nuncupantur; quam ob rem dolores *Ischiadici* etiam *Coxendicum* dolores vocantur: de quo *Jo. Raym. Fortis Tom. I. Conf. Cent. I. Conf. 80.* hisce verbis differit: *affectus, qui in articulo Coxæ affligit, & motum progressivum intercipit, a parte affecta Ischiadicus dolor appellari solet, atque a Plinio Coxendicus, qui tandem a Galeno sub genere arthritidis fuit collocatus, licet diu græci Ischiadicum dolorem arthriticum nominare consueverint. Est autem ratione loci affecti legitimus Ischias, quoniam in articulo ipso, non autem in gluteis musculis, os Ischium & Ilium extrinsecus obducentibus, dolor percipitur. conf. Ejusd. Tom. II. Cent. 4. conf. 70. huc referimus Foresti verba Lib. 29. obs. 18. in scholii initio: qui ἰσχίον articulum cruciare solet dolor Græcis ἰσχίαις vocatur; velut & qui eo affectu laborant ἰσχιαδικοί nuncupantur, barbaram sectantes medicinam Schiaticam & schiaticos vocant: Latini vero Ischias & qui eo affliguntur Ischiadici nuncupari possunt, poterit etiam Coxendicum dolor seu morbus dici. Nam Plinius articulum hunc Coxendicen nominavit, in quo ossis femoris caput cum Coxendice osse appellato, alligatur atque dearticulatur. Hinc a multis medicis sub Coxendicum dolorum notatione præsens affectus venire solet, sicut ex multis Lælium a Font. Consult. 41. Altomar. opp. 378. Capivacium conf. 31. Zac. Lus. Med. Princ. Hist. Lib. 3. hist. 31. 32. Prax. admir. Lib. 2. obs. 178. allegamus: diximus vero, quod os prædictum, Coxarum nomine veniens, haud doleat, sed musculofo-tendinosæ & vicinæ ambientes partes, aut aliquando periostium, sedem talium cruciatuum constituent, siquidem per consensum motuum aliquando dolores illi se am-*



plificant & internam plane regionem una corripunt, aut ex consensu musculorum motus illi, dolorem causantes, latius se diffundunt, id quod in certo casu cit. *Fortis Tom. II. Cent. 4. consult. 74. p. 579.* testatur, quando dicit: *Legitimum itaque dolorem hunc Ischiadicum esse credo, licet usque ad genu porrigatur dolor, dum a ligamento & acetabulo affectio ipsa Tricipiti, aliisque musculis, nec non iliaco & Psoas facile communicatur: ut propterea scripserit Aetius, quod auspicatur hunc dolorem vicinorum musculorum dolor, maxime lumborum, poplitem, talum, & quibusdam totum crus affligit, & ante ipsum Hipp. dicens quod dolor corripit coxæ juncturam, ac summas nates & coxendicen, tandem etiam per totum crus dolor vagatur: quoniam itaque hic affectus, aliquando Artbritidem sequitur, cum illa alternat, aut simul affligit, aut loca & sedem mutat, ita per familiariter quam & antiquiores & recentiores medici hunc morbum in profapiam & familiam Artbriticorum aut Articularium morborum transferunt: Arabes hunc affectum dolorem Anchæ nominant: hinc Avicenna dicit: 23.3. tr. 12. c. 5. Ischiatica vero est de summa doloris juncturarum & est dolor, qui incipit a junctura anchæ & descendit retro coxam, & quandoque extenditur usque ad genua & ad calcaneum. Plinius l. 20. c. 3. & 9. ancham vocavit articulum illum, in quo ossis femoris caput cum coxendice osse alligatur. vid. Zac. Lusit. Med. Princ. Hist. Lib. 3. bist. 30. paraphr. p. 562. Nominavimus vero in titulo hunc affectum, Malum Ischiadicum, quem passim dolorem etiam nuncupant: haud tamen in hac denominatione singularem emphasin intendimus, præterquam hic morbus eximio & valde affligente dolore subjecta detinet, subinde communiter satis refracta-*

tiam



*riam* indolem continet, qua diutius subiecta cruciat unde etiam suo tempore *Hippocrates Prorrhbet. Lib. 2. §. 45.* specimen diutius affligentis hujus affectus allegat: malum denique *peculiare* constituit, quia *medicis* auxiliis non tam *prompte* obtemperat, sed potius *facilius* increbescit, alios *connexos* dolorificos affectus invitat, adeoque *malam* suam qualitatem sufficienter comprobat: quemadmodum etiam hic morbus & *antiquioribus* & *recentioribus* medicis semper innotuit, modo pro diversitate *climatum, provinciarum, diætæ, subjectorum, vitæ generis, methodi medendi*, singulares circumstantiæ annotari debeant; ut propterea in *causarum* indagatione, attentione & *judicio* opus sit: interea *veterum* observationes de hoc affectu, veluti *Hippocratis*, qui hujus affectus *multis* in locis reminiscitur, non oblitterandæ, sed peculiari *studio* & *judicio* conciliandæ sunt.

§. II.

Ischiadem communiter medici *articulorum* vitiis aut morbis, velut *speciem* adscribunt, (hinc *Wedelius disp. de Isch.* hunc affectum *Arthritiden lumbarem* vocat, & *Dietericus in Fatreo §. 409.* dicit: *est ergo Ischias, ea arthritidis species, quæ coxendicem invadit, non tam stricte in eo articulo*; huc pertinent *Riolani* verba in *Enchirid. L. 5. c. 3. in articulo femoris, circum cavitatem ossis ischii generatur Arthritis, quæ Ischias dicitur*: *Diemerbrock obs. 87. annot. Forestus lib. 29. obs. 18. in scholio asserit: quod in omnibus articulis arthritis est, hoc in uno juxta coxendicem articulo Ischiada & Coxendicum vitium appellant ii, qui græcos & doctiores sequuntur: Celeb. Stablius in Patholog. cap. de Malo Ischiad. p. 1071. asserit: Ischiadicus dolor, cum quarumlibet reliquarum corporis partium arthriticis doloribus*



notorie conspirat, atque colludit, imo communicat & invicem commutat) hunc affectum etiam cum *Podagra*, *Gonagra*, *Chiragra* in aliquam *affinitatem* transferunt, sicut *ratione commercii*, *consensus*, *complicationis* & *consecutionis*, aut etiam *alternationis nephriticus* affectus æque coherere solet; interim *dolores lumbares*, quos *nephritidem* non *calculosam*, aut *simplicem* nominamus, ab *Ischiade* adhuc discrepant, quamvis aliquando *concurrant*, quandoque *superveniant* & *alternent*: & sicut illi *lumbares dolores* in regione *lumborum*, versus *infimam* dorfi regionem *extensa*, sæviunt, proptereaque *Lenden-Schmerzen*, *Lenden-Weh*, *Lenden-Stein* vocantur, ita *Coxendicum* dolores paulo inferius *cruciatu* suos *exserunt* & quidem præcipue in *lateribus* illius regionis *occurrunt*, quare nominantur *Hüßst-Schmerzen* oder *Hüßst-Weh*, interim aliquando *ossis Sacri* regionem in *consensum* trahunt, ut per *conspirationem* aliquando dolores affligant *perpendiculariter* os sacrum pervadentes, de quo *cruciatu* exclamant, *es reiße Sie durchs Creutz hinunter*, hinc loca talia neque recte *movere*, neque *iisdem incumbere* possunt, quin *acerbius* dolores afficiant: quoniam itaque hi affectus *ratione formalitatis* & *causalitatis* conveniunt, ita sæpe *concurrunt*; in quo *nexu* medici *attenti arthriticos, lumbares nephriticos, ischiadicos, podagricos, gonagricos, chiragricos*, imo *colicos hæmorrhoidales* considerant & *commendant*: hanc *exquisite* practicam, *notatuque* dignam observationem confirmat & illustrat *Excell. D. D. Stablius* in *Programmate Historiam Patbologicam affectuum cum coarum dolore symbolizantium exhibente*: Proinde etiam præsens affectus non cum *quolibet dolore*, *hasce* regiones affli-

fligen-



fligente, confundi debet, quare Sennertus *Prax. tr. de arthrit. c. 6.* ubi de dolore *Ischiadico* agit, profitetur: Sunt nonnulli, qui per *Ischiadicum* dolorem alium affectum ab *arthritide* differentem, accipiunt, qui inter *chronicos* affectus est, & accidit iis etiam, qui *podagra* & *chiragra* etiam nunquam laborarunt, ab excrementis illis congestis, vel in eam partem influentibus & plerumque sensim & paulatim: verum de hoc affectu hic agere nobis propositum non est, pertinetque is ad ambulandi, ob *coxæ* vitium impotentiam, quod latius se, quam *arthritidis* extendit, de quo solum hic agere nobis propositum est, & proinde etiam de *Ischiadico* dolore tantum ut *arthritico* hic agemus: quo textu ex mente Sennerti etiam inclarescit, quod *Ischiadicum* affectum cum *arthritico*, *podagrico* & *chiragrigo* author connectat, proinde vero ab aliis doloribus, regionem *coxarum* cruciantibus, discernat; oritur porro nonnunquam dolor in regione *ossis ischias* a congestione & inflammatione, a luxatione (qualem casum allegat *Mercur. tom. I. cons. 70.* *Capivacius cons. 42.* *Fonseca tom. I. cons. 77.* *Ben. Sylvat. Cent. 3. cons. 89.*) a casu, jactu, plaga, contusione &c. (*Ischiadici doloris spurii ex lapsu* reminiscuntur *Act. Berol. Decad. I. Vol. 7. p. 29.* *Baubin. de Font. Boll. p. 73.*) a doloribus *parvus* *difficilioris*, qui dehinc illam regionem occuparunt & diutius obtinuerunt, *vid. Ballonius Epid. p. 272.* *Chiffletius observ. 44.* *Schenck. lib. V. observ. tit. de Ischiade, Symptomata, obs. 1.* aliquando hanc regionem *Rheumatismus* corripit, qui si *simplicior* fuerit, nondum hunc morbum constituit, hinc *Acta Berolinensia decad. I. Vol. 5. p. 57.* *Rheumatismi Ischiaden mentientis* & *Vol. 7. p. 23.* *Ischiadici Rheumatismi in puero* historiam proferunt & memoriam injiciunt



*conf. Fortis Tom. II. Cent. 4. conf. 75. de Ischiade illegitima; proinde juxta Hippocratis & Galeni mentem Ischias & Cedmata alii distinguunt; sicut Prosper Martianus Comm. in Hipp. p. 169. de posterioribus dicit, quod a materia frigida & pituitosa juncturam coxæ obsidente oriantur, quæ propterea quemlibet articulum invadere possunt, cum Ischias morbus proprius coxendicus existat: de quali differentia porro vid. Hollerius in Comm. aphor. Hippocr. Sect. 6. aph. 59. Wallisius Comment. p. 125. alium differentem affectum allegat Möllenbroccius tr. de Varis c. 5. Sylvius Pr. Lib. 1. c. 50. nec gravidarum aut puerperarum dolor circa inguina, ischiadicus est. conf. Forestus Lib. 29. obs. 18. schol. Hollerius de morb. intern. Lib. 1. cap. 63. schol. p. 538. Et quamvis non strictiori sensu hunc affectum accipiamus, quo quidam asserunt, quod dolor ille Ischiadicus genuinus existat, qui circa acetabulum ossis ischii occurrit, tamen non adeo late & laxè de eodem affectu judicamus, velut Riverius (vid. Boneti Polyaltbes tom. III. Lib. V. c. 32. p. 453. n. 169.) cujus judicium est, dolor Ischiadicus ab aliis Arthritidis speciebus non differt, quod in his dolor solos articulos occupat, in illo vero dolor non in sola est coxendice, sed etiam summam natem & lumbos & os sacrum occupat, ac in femur, tibiamque & extremum pedem exporrigitur, quod fit ob nervos a lumbis & osse sacro emergentes, qui a coxendice feruntur, & inde ad femur, tibiam & pedes disseminantur: qualis descriptio præter verum & genuinum morbum Ischiadicum etiam arthriticos, vagos, nephriticos, podagricos & gonagricos complectitur.*

§. III.

Progredimur nunc ad delineationem *Historiæ Ischiadicæ*



dicæ, in qua *primo* circumstantias quasdam in *subjecto* annotandas, recensēbimus: in hisce antea ratio *Ætatis* observari debet, siquidem *plurimi* hominum morbi per diversas *annorum* aut *ætatis periodos* variant, id quod jam *Hippocrates* annotavit, qui de præsentī morbo in *Prorrhēt. Lib. 2. §. 44. t. 9. & §. 45. t. 1.* ita differit: *hic morbus* (videl. dolores in humeris) *viris vebementissimus esse solet a quadragesimo anno usque ad septuagesimum: qua ætate etiam coxendicum morbus affligit: hinc in Sect. 3. aph. 31. etiam adferit, quod senibus articulorum dolores familiares sint: exindeliq̃et, quod hic morbus provectioris ætatis hominibus, neque infantili, puerili & adolescentiæ ætati primario eveniat; hinc Celeb. Stablius in disp. de Morb. ætat. fundam. c. 2. p. 9. dicit: confiniis juvenilis & virilis ætatis, profundiores, circa os sacrum & Coxendices, dolores, eveniunt: qui si sponte vel arte male succedente, vel decubitus motuum incongruorum &c. vitiis, ad caput ossis femoris declinent, a Gonagra & Podagra unguem latum absunt: neque sane opus est, nisi præcipiti aliquo sudorifico regimine præmature instituto, quin præsto sint. Siquidem Hippocr. lib. Prorrhēt. cit. t. 3. & 11. de hoc affectu, quatenus Senibus & Juvenibus obtingit; tractat; huc pertinent testimonia ipsis casibus manifesta, dum Raym. Job. Fortis Tom. II. Cent. 4. cons. 71. 72. 73. subjecta ægrotantia Ischiade detenta in periodo quadraginta annorum constituta, allegat: Lentilius Fatromnem. theor. pract. c. 32. p. 147. virum 45. ann. allegat, qui jam per decennium ischiadico dolore laboravit: historiam viri Ischiadici ad 40. annos appropinquantis allegat Stablius in Patholog. de Malo Ischiad. p. 1072. 1073. porro Fortis l. c. cons. 70. sexagenarium profert Ischiadicum, Riedlinus Curat.*



*rat. Med. 64. Ischiadicum septuagenarium recenset: & curat. 242. sexagenarium. Forestus Lib. 29. obs. 19. reminiscitur Ischiadici 37. annorum. Deinde hic affectus familiariter sexum masculinum afficit, & quoad hanc circumstantiam consensum suum cum podagricis cruciatibus testatur, quippe qui plus mares, rarius fœminas afficiunt; quæ circumstantia haud levipendenda, sed solide inquirenda est, ob quam causam tale quid eveniat: interim non desunt exempla, quibus probari potest, quod aliquando fœminæ hoc malo affligantur; vid. Forestus Lib. 29. obs. 18. Fortis Tom. II. Cent. 4. conf. 69. Zac. Lusit. Med. Princ. Hist. Lib. 3. hist. 30. A. N. C. dec. 3. an. 7. obs. 207. reminiscuntur fœminæ ischiadicæ 37. annorum, cui affectui per prædictam connexionem tanto facilius illæ fœminæ subjectæ sunt, quæ arthriticis, podagricis & nephriticis passionibus obnoxiae existunt: Dantur vero observationes, utut infrequentiores, quibus confirmari potest, quod hic affectus teneriorem aliquando corripit ætatem, hinc Riedlinus l. c. curat. 874. historiam puellæ 12 annorum Ischiadicæ commemorat, & Diemerbræck obs. 87. juvenem 24 annorum Ischiadicum allegat: Præterea in subjectis ratio Temperamenti habenda est, siquidem in hunc affectum ejusdem temperamenti homines incidunt, cujus sunt arthritici, podagrici, nephritici, videlicet cholero-melancholici, sanguineo-cholericici, sanguineo-melancholici, magis vero calidi sic dicti, quam frigidi temperamenti: proinde ejusmodi homines magis de humoribus abundant, adeoque plethorici existunt, quæ tamen sanguinis plenitudo non semper in turgido & rubicundo corporis habitu inquireri debet, cum illa sæpius in strictiori paululum tali habitu, plus in inflatis venis observari queat: hinc*



hinc ejusmodi subjeſta non famelica, aut deficiente, ſed potius *plena*, aliquando *lauta*, *ſpirituosa* & *luxuriosa* diæta fruuntur; interim non ſemper hæc diæta *splendida* & *opipara* eſſe debet, modo *larga* fuerit, quæ ad *accumulationem* humorum perinde ſatisfacit, attamen illa, quæ *magis lauta* eſt, *plus* ad *hujus* affectus præparationem contribuit; tanto magis vero, ſi quidam homines potum *vinosum*, *sanguinem* præcipue commoventem, *largius* aut *uſitatus* ingurgitaverint, aut *intemperantius* ingeſſerint: hinc *Vinum*, *Venus* & *Ira* æque in hoc affectu, ac in podagra eximium *irritamentum* hujus mali conſtituunt: Subinde talia ſubjeſta ob *sanguinis abundantiam* & frequentem ac magnam ejus commotionem valde proclivia ſunt, ad *actuales* ſanguineas *evacuationes* ſpontaneas, quæ motibus *Eluctatoriis* proſtigantur: unde aliquando ejusmodi motus in *conatu* tali excretorio ſubſiſtunt, aliquando ad *actualem* *perruptionem* pertingunt: hinc quædam horum ſubjectorum in *junioribus* ætatibus *navium hæmorrhagias* experta ſunt, uti *Hippocrates* notatu dignam proferit obſervationem *Prorrhæ. Lib. 2. §. 47. text. 8. ſit autem hic morbus his, quibus in pueritia & juventute ſanguis ex navibus fluere deſiit. text. 9. Proinde interrogandum eſt de ſanguinis eruptione an in juventute facta fuerit? text. 13. Si vero etiam malo colore præditi ſint hi homines, interrogandum eſt, an caput doleat: hoc enim fatebuntur: de qua morborum connexionem vid. *Programma Illuſtr. D. D. Stablii* modo citatum, diſſertationi *de Regimine*, annexum: ita etiam talia ſubjeſta in *hæmorrhoidales* motus inclinant, aut *Menſium* & *Hæmorrhoidum* *anomalis* obnoxia ſunt, aut malo *regimine*, *incongrua diæta* aliisque cauſis *moralibus* & *phyſicis* tales*



*ataxias* contraxerunt: quam ob rem non æque necesse est, ut semper *actu* fluxerint *Hæmorrhoides*, aut *Menses*, sufficit, harum *Hæmorrhagiarum molimina* excretoria sive *proximiora*, sive *remotiora* in affectis subjectis præsto fuisse, quæ dehinc ad præsens malum ansam præbent; inde etiam facile alii *perversi* & *infensi effectus* derivari possunt, qui *consecutionibus accidentalibus*, rectius annumerari debent, dum potius *inverso* causandi ordine, adeoque *perperam*, illos effectus, aut accidentia talia pro *principali* hujus mali causa quidam agnoscunt: Aliquando subjecta hujus affectus *multi animi pathematibus*, sive *iracundis*, sive *libidinosis*, sive cum multa cura & *sollicitudine* occupatis obnoxia sunt: interdum *plus sedentariæ*, aut *confusæ* & *nimum mobili vitæ* dedita sunt; qui præcipui respectus sunt, in *Subjectis* annotandi, quorum adhuc *alii connexi* in reliqua deductione mentio injicienda erit.

§. IV.

Quod porro *Signa* attinet, quæ hunc affectum denotant, tunc illa aut *essentialia*, aut *accidentalialia* & *individua* existunt: *Priora* præcipue consistunt in *sensibili dolore*, qui *spasticus*, *tensorius*, *tractorius*, *distensorius*, *ardens*, *fremebundus*, aliquando *lancinatorius*, qualis vulgo in membris etiam *externis spasmodicus* esse solet, existit; & quamvis nonnulli hunc pro *acerbissimo* declarent, tamen ipse per *tempora*, *temperamenta*, *individua*, aliasque causas discrepat, ut in uno subjecto & *paroxysmo* *mitior* & *lenior*, alibi *gravior* & *acerbior* existat: hic dolor *non uno continuo* durat *successu*, alias *diu durabilis* *baud* esset, sed quandoque *vagus* est, unde per momenta cruciatus suos exferit, modo aliquantulum *remittit*, mox denuo corripit & sic  
alter-



*alternat*: aliquando *fixus* est, ut, quamdiu in *quiete* sunt subiecta affecta, tamdiu & ipse *latitet*, quando vero vel *leviter* affectum membrum *moveretur* & *flectitur*, subito *acuti* quasi dolores invadant: & tales dolores *ut plurimum* ægris multos extorquent ejulatus, tanto magis vero, quia *raro transitorii* & *cito* remittentes evadunt, quin potius per *aliquot*, imo per *plures*, dies durent & quotiescunque *recurrunt*, *acerbiores*, magisque *refractarii* communiter redantur: *Locum*, quem *ordinarie* occupant, quod attinet, tunc medici in *multas* abeunt sententias: nos in *latiorem* commemorationem haud immiscemus, sed brevitate amantes cum *Fernelio de part. morb. & sympt. lib. 6. c. 18.* significamus, quod dolor in *superiori* coxarum regione sedem suam habeat, sæpe vero *latius* se dispergat, per *coxendicem* evagetur, *altius lumbos*, inferius *femora*, *crura* & *pedes* corripiat & in tali schemate cum *arthriticis*, *nephriticis*, *gonagricis* & *podagricis* cruciatibus alternet, tali quidem mutatione, ut, quando in *inferiori*, aut *superiori* regione dolores hi *acerbius* affligunt, tunc temporis in *genuina* sua sede remittant, quando vicissim in *hac tragædiam* suam præcipuam ludunt, tunc communiter *aliæ* regiones *immunes* observentur: *Dolor* hic *Ischiadicus noctu acerbior* evadit, adeoque plurimum *somnum* turbat, eaque propter *alias* functiones valde offendit, pervertit & *vires* una admodum *enervat*, id quod non modo *quotidiana* observatio, sed seorsim *Celsus lib. 4. c. 44.* testatur, siquidem *Zac. Lusit. in Med. Princ. Hist. Lib. 3. histor. 30. p. 563.* dicit: *affectus hic ob diuturnos dolores vires enervat, vigilias excitat, facultates prosternit, quosdam non dimittit*: Sæpe hic dolor *exacerbatur*, si patientes in lectis *plumaceis* incalescunt, unde



de aliquando adserunt, die Schmerzen könnten keine Feder-  
 Betten leiden: proinde idem dolor usitatus non magnum  
*calorem*, neque sensibile *frigus* tolerat, a qua *utraq*ue causa  
 facile *exacerbatur*, quam ob rem *Hippocr. Sect. 3. aphor. 22.*  
*Ischiaticam autumnalibus* morbis annumerat & de eadem  
*Lib. 2. Proorrh. §. 46.* indicat, quod si *diuturna* fuerit,  
*verno & æstivo tempore opem expectare* debeat: (conf. *Fortis*  
*Tom. II. Cent. 4. conf. 71. p. 573.* ubi casus recensetur *de Ischia-*  
*de*, quæ per hyemem perseveravit usque ad Ver.) addit *Lom-*  
*mius in observ.* ubi de hoc affectu tractat: *parum sperare*  
*vel hyeme, vel autumno licet*: unde præcipue huic dolori  
*frigus insensum* est: *primis accessibus & invasionibus* talis  
 dolor *mitior* est, quando vero *crebrius* recurrit, *acerbissi-*  
*mus* invadit; cruciatus hic interdum versus *inguina* se pro-  
 trahit, aliquando ad *femur* descendit: si ante hunc dolo-  
 rem partes *supernæ* cruciatibus afflictæ fuere, tunc *Coxæ do-*  
*lor superveniens supernarum* partium dolores solvit. *vid.*  
*Hipp. Epid. Lib. 2. Sect. 6. text. 47.* præterea aliquando do-  
 lor ille in *uno latere*, aliquando in *utroque* affligit & *acerbi-*  
*ores* cruciatus exserit: usitatus in membris affectis, nullus  
*tumor nullusve rubor & calor externus* observatur. *conf.*  
*Lommius, Wedelius disp. cit. Forestus Lib. 29. obs. 18. schol.*  
*Ettmüllerus de arthrit.* quod si vero uterque occurrat, tunc  
*congestio & inflammatoria* comminatio coincidit, unde af-  
 fectus *gravior* redditur & *complicatum* statum induit; ta-  
 lis cruciatus, quando jam *iteratos* recursus servavit, com-  
 muniter *diutius* durat: hinc *Hippocr. l. c. Proorrh. text. 11.* de  
*breviori* hujus affectus terminatione ita differit: *at vero ju-*  
*venibus non quidem minus doloris inducit coxendicum mor-*  
*bus; verum brevior est; nam quadragesimo die liberantur:*  
 &



& licet non *absolute* hic terminus *fixus* & *decretorius* existat & aliquando *citius* remittat, aliquando *diutius* duret, tamen *ut plurimum* hic affectus in *longius* tempus se protrahit, quare *Zac. Lusit. l. c. hist. 28. p. 549.* profitetur: *Ischiadicus dolor durat & amplius affligit, nam longus est*, ex *Gal. Lib. I. Conf. 4. Aurel. lib. 5. tard. pass. c. 1. Fortis Tom. II. Cent. 4. Conf. 70. p. 572.* dicit: *hic morbus non facile removeri potest, quia ex sui natura diuturnus est affectus*; *Wedelius* in *disp. cit.* hunc affectum *chronicis* morbis annumerat. Dolor hic non raro *acutus* evadit, adeoque gradu *augescit* & in hoc statu non est *fixus*, sed *facile aliorsum* derivari potest: ob id *Hipp. de dieb. Judicat. §. 6. text. 6.* dicit: *Consistit autem dolor plurimo tempore in inguinibus simulque coxendicibus acutus & æstuosus*: quo magis hic dolor cruciat, eo magis *impotentiam* movendi membro *affectedo* affert: unde *Hipp. l. c. de dieb. jud. text. 4.* ait: *æger articulos vertere ac movere non potest præ dolore articulorum text. 7.* & *si quis ipsum erigat aut transmoveat, ejulat præ dolore, quam maxime potest*: Denique in hac *dolorum* *Ischiadicorum* disquisitione notandum est, quod antiquiores *genuinas* illorum species perspicue satis haud significaverint, dum pungentem, rodentem, stupefacientem &c. accusant, qualis ad *verum* hujus mali genium haud pertinet, sed potius ad *accidentalem* decursum, aut alienas *consecutiones* referri meretur. Et hæc quoad *Dolorem*, in hoc affectu obvium, annotare placuit.

#### §. V.

Prædicti dolores non modo magnam *animi* afflictionem & perturbationem, sed & *appetitus* dejectionem causantur, hinc facile & cito mutatio in *externo* habitu & colo-



*re morboſa* comparet, quam haſtenus commemorata pathemata provocant: ſiquidem alias magna vis eſt *dolorum* in mutando *adſpectu* ægrorum, dum vel *pauciores* horæ magnum cruciatum corpori afferentes, ſubito *faciem inſigniter* mutare ſolent: Sub *acerbiori* dolore partes affectæ magis ſunt *conſtrictæ*. *Alvina* excretio communiter in hoc affectu eſt *inordinata*, ſæpe *obſtructa*, aliquando *ſegnīs* & præter ſolitum *difficilis*, aut *inſufficiens*; quandoque *tenaces* alvi obſtructiones & *tenesmodeæ* moleſtiæ afficiunt; imo aliquando ſub *difficili* ſucceſſu mucus tantum externitur: Frequentius vero *accidentalìa* pathemata hunc affectum comitantur, velut *febriles* commotiones, *horripilationes* præcedentes & ſupervenientes *exæſtuationes*; nonnunquam concurrunt *cardialgiæ*, *vomitūs* & *intestino- rum tormina*, quando præcipue in hiſce partibus *coacervatæ* & per *peculiareſ* cauſas & occaſiones *commotæ impuritates* deliteſcunt; nec non quando ſpasmī iſchiadici *vagi* ſunt & nunc in *externam*, nunc *internam* regionem transmigrant; quo etiam aut *medicamina*, aut *regimina*, aut *perversorum* morum ſchemata contribuere ſolent: nonnunquam coincidit affectus *podagricus*, qualem caſum allegat *Fortis Tom. I. Cent. 4. conſ. 79.* quandoque *nephriticus* vid. *Hipp. Coac. prænot. ſ. 3. text. 335.* *A. N. C. dec. I. an. 8. obſ. 61.* *Ben. Sylvat. Cent. 3. conſ. 89.* aut *calculus Veſicæ* *Fortis Tom. I. Cent. 4. obſ. 15.* aliquando alia *urinæ* vitia concurrunt, velut *ſtranguria*, aut *urinæ difficilis* excretio, ſiquidem *Foreſtus l. c. obſ. 18. ſchol.* & *Lommius l. c.* teſtantur, quod, ſi *iſchiadicus dolor circa inguina affligit*, *Urinæ difficultatem inducat*: *Urina* in hoc affectu per *initia pauca* & *tenuis*, imo ſanæ ſimilis eſt, mox *rutilat* & circa *remiſſionem rubicunda* & *turbida*



*bida* excernitur ; *Pulsus* durus est, quadantenus *frequens* & *operosus* & si dolores *acerbiores* fuerint, *celerior*. Si *manifestiores* evagationes & commotiones *hæmorrhoidales* & *hypochondriacæ* occurrunt, tunc *capitis* dolores, *cardialgiæ*, imo *asthmata* transitoria nonnunquam coincidunt: quandoque *stupor pedes* detinet, quando in *sede genuina* affectus dolores sæviunt; nonnunquam rami *venosi* in *crure* & *pede* lateris affecti intumescunt (*conf. Prosp. Martianus comment. in Hipp. p. 169.*) & *oppletionis*, nec non *ardoris* molestam sensationem excitant, *quamdiu* dolores *ischiadici* durant: quam ob rem prudentem conciliationem meretur observatio antiquorum, quod *Varices* (præcipue fluentes) *solvant Ischiaden*, *conf. Forestus lib. 29. obs. 18. schol.* Aliquando hic affectus *genitalia* loca in consensum trahit & *varias* in iisdem alterationes, maxime vero *languorem*, provocat; sicut *Hippocrat. Lib. Prorrhet. 2. §. 45. text. 5.* testatur: coincidit quandoque cum hoc affectu *insolita sitis* & *angustia præcordiorum*, præcipue si dolores *introrsum* vergere comparuerint: *alternat* nonnunquam hic affectus cum cruciatibus *arthriticis*, *nephriticis*, *podagricis*; quando dolor *remittit*, *alvus* & *urina* facilius succedunt & pars affecta paululum *intumescit*: imo tunc aliquantulum obstupefcit, donec hic *mediocris* stupor intra *breve* temporis intervallum cesset: aliquando licet *rarius*, patientes graves quidem dolores sentiunt, interea sub illis *libere* incedere possunt, imo quasi ad *obambulandum* urgentur, qualis casus occurrit in *A. N. C. dec. 3. an. 7. obs. 207.* hisce verbis conspicuus: *illud imprimis notatu dignum erat, quod non tantum periodice exacerbatus fuerit dolor, sed & in ipso paroxysmo obambulare valuerit, quin dolorum vehementia currere coacta fuerit ægro*: hæc rela.



relatio testimonium pariter perhibet, quod Ischiadica nonnunquam *periodica* reddatur: *vid. similis casus in Lentilii Fatromnematibus theoretico-practicis cap. 32. p. 147.* nonnunquam dolores Ischiadici *alternis* diebus *acerbiores* evadunt & hac ratione velut *paroxysmos*, aut *periodos* servant: *conf. Salius de affect. partic. cap. 16.* In nonnullis subjectis cum *Ischiade concurrunt*, affectus *hypochondriaci* & *hysterici*, qui etiam aliquando *alternant*; qui concursus *nexum* illius affectus cum *hæmorrhoidalibus* & *uterinis* Menstruis profluviis testatur: siquidem alias hoc malo afflicti communiter *plus* sanguinis continent, indeque *variis aliis* commotionibus & affectibus morbofis subjecti sunt, quos antiquiores medici *calido* aut *fervido* jecori tribuere solent, *durantibus* acerbioribus doloribus ægrius ægri *sudant*, tanto magis in *affecteda* parte, interim nonnunquam etiam *sudores anxii*, nihil tamen *levantes*, intercurrent, sub quibus cruciatibus interdum etiam *vagus* & *angens* æstus affligit, qui affectus potius *acerbiorem*, quam mitiorem gradum prodit: *remittente* dolore *torpent* & *gravativa* molestia laborant lumbi & pedes, aliquando hi *circa malleolos intumescunt*, quæ inflatio vero facile iterum cessat: interim totus affectus ita comparatus est, ut facile etiam *recidivam* patiatur & in hac *acerbius* subjecta torqueat: qualem *recursum* præcipue *animi pathemata*, *diætæ vitia*, *refrigeria* sensibilia, actus libidinosi venerei &c. invitant.

§. VI.

Tradita hætenus ut plurimum *Diagnosticæ* Ischiadici Mali tractatione, nunc in ordine *Prognosticæ* ejus disquisitionem subnectimus: quam ob rem observatio practica testatur, quod juxta *Hipp. Lib. de Affectionibus §. 30. text. 11.*  
hic





hic morbus *molestus* quidem, sed non *lethalis* sit: attramen sciendum etiam est, quod hic affectus facile in *contumacem* statum degeneret, præcipue in subjectis, quæ de *choleric* temperamento una participant: *deterior* etiam redditur, quo magis subjecta *animi pathematibus* indulgent: *periculosior* est, quando *vagus* existit, sub quo statu facile, æque ac *podagra* *retropelli* potest, unde internæ *inflammationes*, *spasmi*, *colicæ*, *motus convulsivi*, *asthmata spastico-suffocativa*, *spasmi ventriculi & diaphragmatis*, alique periculosi affectus oriuntur, quales *podagram* *retropulsam* excipere solent: quando hic affectus *vagus* evadit, tunc magis *rebellis* curatuque *difficilis* est; quando cum *podagra*, *nephritide*que alternat, *deterioris* est conditionis; interim tamen verum est, quod *Hollerius de morb. intern. Lib. 1. cas. 63. in schol. p. 538.* dixit: *Coxendicum* dolor sæpe fit multis, qui *podagra* nunquam laborarunt; quo magis *ordinariæ* excretiones *retinentur*, eo *contumacior* & *acerbior* existit; quando *urina limpid*a, *tenuis* & *aquosa* est, & *quamdiu* talis manet, tunc *status morbi* *gravior* est; *comitatus febrilium* commotionum declarat hunc affectum *vehementiorem* & *intricatiorem*: quo *tenacius* & *diutius* *Hæmorrhoides*, aut *Menses* *subsistunt*, vel in *anomalo* statu continuant, eo *contumacior* est morbus eoque *certius recurrit*: quo magis *acuti* sunt dolores, eo *facilius stuporem*, *torporem* & *tumorem* pedum post se relinquunt; quo magis per *medicamentosa* experimenta *motus hæmorrhoidales* *turbantur* & *opprimuntur*, eo magis malum accrescit: quo *frequentius diversis* & *contrariantibus* methodis medicis hic affectus tractatur, eo *pertinacior* & *immoderatio*r redditur: quo *frequentius* hoc malum re-



*vertitur*, aut quo *diutius* infistit, eo certius in loco affecto & connexis *inferioribus* partibus *stupor* perpetuus, aut *contractura aridura*, *tabes*, aut *paralytoidea* afflictio excipiunt, quæ ægerrime curari possunt: quid quod *Hippocrates Sect. 6. aph. 60.* hanc prognosin producit: *quibus diuturno coxendicum dolore infestatis, coxa excidit, iis crus contabescit, & claudicant, nisi urantur*: cujus textus explicationem præc. *Rivèrius in Praxi*, ubi de hoc affectu agit, suppeditat: & siquidem demonstratu *difficile*, si non impossibile est, quod hic dolor efficiat, ut *coxa excidat*; tamen homines ob doloris *acerbitatem* *claudicare* possunt, quando partes affectæ *rigidæ contrahuntur*, aut *firmitas* necessaria illarum, sive *tonus relaxatur*: *Ischiadicum* malum *junioribus vitam brevem promittit*, dicit *Sennertus in Praxi*, ubi de hoc malo tractat, id quod etiam *Historia Practica* testatur, in qua circumstantia *hic affectus affinitatem* suam cum *Podagra* prodit, quando vero *congruis* ætatibus hic affectus evenit, hoc iudicium, ut supra monuimus, haud valet: *deterioris* etiam indolis est, quando hic affectus cum *alio morbo complicatur*, velut *scorbuto*, *Lue venerea*, *hectica*, *asthmate*, *catarrho*, &c. quales observationes allegatas *vid. in Moroni directorio sub tit. Ischias*: quando *gravitas* & *incorrigibilis pertinacia* hujus mali *tabem* infert, tunc quidam hunc statum morbi *Phthisin*, aut *tabem coxariam*, aut *ischiadicam* nominant, cujus reminiscuntur *Hipp. Lib. 5. Epid. Vallesius in comment. Riolanus in Encbirid. Lib. 5. c. 53. Zac. Lusit. Med. Princ. Hist. Lib. 3. hist. 30. Prax. admir. Lib. 1. obs. 35. Schenckius Lib. V. obs. 1. Sennertus l.c. Mensium & Hæmorrhoidum legitimus successus, multum levat, aliquando plane tollit hunc affectum. conf. Stab-*





*Stablii Patbol. cop. de Malo Ischiad.* Quando in hoc affe-  
ctu humores decumbunt in coxam & corruptionem subeunt,  
malum est signum; unde facile synoviae & tabes superveni-  
unt: ita Schiffletius obs. 47. talem ominosum abscessum post  
Ischiaden commemorat: Forestus lib. 29. obs. 18. in scholio  
dicit: amittitur hic morbus frequenti vomitione, ut dicebat  
Rondeletius & Schenckius Lib. V. obs. 5. de Ischiade casum  
profert, ubi quidam quotidianis vomitibus ab Ischiade vin-  
dicatus fuit; quales casus plane singulares circumstantias  
continent, unde baud ultra metam extendi & applicari de-  
bent: advertenda porro est Foresti prognostica observatio  
l. c. Varices si supervenerint, Ischiaticam fere solvunt, &  
fluxus Hæmorrhoidum & ventris superveniens, eam solvit:  
tumores duri & profundius in coxarum sede delitescentes,  
post Ischiadicos dolores occurrentes, malæ indolis sunt, &  
facile inde pravæ corruptiones oriuntur: quando hic affe-  
ctus iterata nunc vice recurrit, tunc levis causa ad ipsius  
vernalem aut autumnalem annuam & periodicam revolutio-  
nem contribuit: malignos æstimant medici recursus ex co-  
xarum regione in superiores regiones, hinc Valesius comm.  
in Hipp. p. 201. dicit: Hipp. dicit ex dolore capitis solent suc-  
ci in pectus, hypochondria & coxam descendere, estque hic bo-  
nus abscessus, si contra adscendunt malignus recursus est. vid.  
Lommius l. c. addimus Riverii annotationem: Materia do-  
lorem ischiadicum efficiens aliquando suppuratur & in absces-  
sum convertitur, quod docuit Hipp. 3. Epid. in historia Eu-  
polemi, qui talem abscessum passus est, & ex eo tabidus in-  
terit: si abscessus aperiatur, ulcus remanet sordidum & ca-  
coethes, quod etiam ad tabem perducit: Si hoc malum ex  
hereditaria dispositione provenit, tanto magis intricatum



& *refractarium* existit: *Lommius* denique profert: *observatum* haud raro est ex hoc *coxæ dolore* natum *hydropem* esse: Et hæ circumstantiæ in *Prognosi* hujus affectus annotandæ sunt.

§. VII.

Quando nunc *Causalem* sive *Pathologicam* hujus affectus explicationem tradere debemus, tunc præcipue *formalem* illius rationem demonstrabimus, haud tamen reliquas *impulsivas* & *connexas* causas negligemus, quoad hanc *Formalem* indolem *discrepant* utique medicorum sententiæ, quas brevibus tantum allegare, haud vero quoad *certitudinem* suam inquirere lubet: plurimi derivant hosce dolores a *decubitu* & *defluxione* materiæ praviæ, nunc *biliosæ*, nunc *salsæ*, *acris*, *acidæ*, *tartareæ*, *muriaticæ*, *pituitosæ*, *nervos*, reliquasque partes stimulantis, arrodentis, exco-  
riantis & corrumpentis; quidam etiam aliquando *sanguineam* accusant causam, eandem vero ejusque operationem satis *obscure* explicant, interea hoc malum *distingvunt*, quatenus vel a causa *frigida*, vel *calida* provenit, ita ut nunc *Ischiatica biliosa*, nunc *pituitosa*, nunc *sanguinea* esse debeat, eo ipso vero totum affectum cum *catharrali* morbo & *rheumatismo* valde *confundunt*, ita ut ille secundum communem dijudicationem sæpe appelletur ein gesaltzener Fluss, der sich in die Hüften gesetzt habe: nos potius annotavimus, quod secundum hanc declarationem communiter *nexus* causarum violetur, quomodo *consequentis* effectus cum causa *formali* confunduntur, siquidem ab hac tales *secessiones* & *decubitus*, nec non *stagnationes* & *stases* humorum *originem* trahere possunt, quæ in varias *corruptionum* species tandem degenerant: quam ob rem *ordo*  
cau-



causarum requirit, ut *illam* impr. causam *præmittamus* & advertamus, unde reliqua phænomena & consuetaria *dependere* possunt & solent: si itaque *principalior* datur causa, a qua *reliqui* effectus, sine *suppositione* & credulitate, sed juxta *naturalem* ordinem derivari possunt, *ratio* tunc utique *sana* postulat, ut *illam* præferamus & æstimemus: annotationem meretur *Zac. Lus. Med. Princ. Hist. Lib. 3. Hist. 32.* ejusque paraphrasis, in qua author explicat *Coxendicis* dolorem a sanguine ortum: inter alia allegat suffragium *Avicennæ*, quo adserit: *materiæ vero* (videlicet causa hujus affectus materialis) *sunt sanguis singularis, aut sanguis phlegmaticus, aut sanguis cholericus, aut sanguis melancholicus*: ex *Aëtio* vero profert hunc locum: *generant hunc affectum Hæmorrhoides suppressæ, & vomendi consuetudo intermissa & purgationes menstruæ retentæ*: hæc asserta illustramus cum nonnullis locis & observationibus *Hippocratis*, qui *Lib. Epid. 7. §. 49. text. 12.* & eundem casum *lib. 5. §. 33. text. 5.* iterata vice profert, quod quædam a *Mensibus non prodeuntibus arthritica & ischiadica* facta fuerit: notatu pariter digna est annotatio, qua *Hippocr. Lib. de affectionibus §. 30. text. 9.* judicat: *morbis hic fit, cum bilis & pituita, in hæmorrhoidalem venam incubuerint & text. 10:* hic enim sanguis, per crus vagatur per hæmorrhoidalem venam: unde *Duretus* in annot. in *Hollerii* scholion de morb. intern. *Lib. 1. c. 63. p. 547.* scribit: *ad Ischiaden quæ inter arthritiden principatum obtinet, si fiat a sanguine venæ αιουοπησ in signis detrahatur sanguis, & p. 543. de Ischiade dixit Galenus, dolorem oboriri in appendice ischiæ ad nates propter sanguinem, qui confirmatur & veluti protruditur, a vena majore hæmorrhoidæ cava: cum hisce effa-*



tis conciliamus alium notabilem textum *Hippocratis Lib. Prorrhēt. §. 47.* quando de *doloribus* circa *articulos* (qui cum *Ischiade* peculiarem *nexum* habent) rite indagandos, hanc suppeditat admonitionem *text. 9.* proinde interrogandum est de *sanguinis eruptione*, an in *juventute* facta fuerit, *text. 11.* & quibus *Hæmorrhoides* fiant: §. 48. *text. 7.* & de *sanguine* interrogare oportet, an in *juventute* fluxerit: quando cum *hisce* effatis *aliorum medicorum* observationes conciliamus, facile hujus mali *veram formalitatem* agnoscere & demonstrare possumus: ita *Forestus lib. 29. obs. 18. in schol.* profitetur; quod *Ischiadici* doloris causa aliquando sint *hæmorrhoides suppressæ*, quod *Varices* & *Hæmorrhoides* solvant *Ischiaticam*; quod juxta *Fortis Tom. II. Cent. 4. obs. 69. p. 570.* & *Forestum l. c. Menses impediti* ad *Malum Ischiadicum* disponant; quod idem *Fortis l. c. conf. 74. p. 579.* *evacuationem per Hæmorrhoides in affectu ischiadico summopere commendat*: quod ex *Hæmorrhoidum* cessatione *Ischiadicum malum* originem traxerit juxta *Fortis l. c. conf. 70.* addimus lectu dignam observationem, quam profert *Schenckius Lib. V. de Ischiade tit. Liberati Ischiadici obs. 3.* ubi verba: *excrevit tandem magnam sanguinis copiam, cum impetu quodam ex Hæmorrhoidibus erumpentem & STATIM dolor cessavit*: conferatur observ. *Foresti Lib. 29. obs. 4. de artbritide ex Hæmorrhoidum suppressione orta, & apertis Hæmorrhoidibus curata. conf. ejusd. Lib. 23. obs. 4.* huc quadrant observationes de *Ischiadico malo* *Hirudinum* applicatione ad *loca hæmorrhoidalia* curato *Zacut. Lusit. Prax. admir. Lib. 2. obs. 171.* quo loco rotunde author confitetur, *Hæmorrhoidum* apertio a *coxendice præservat*, & *menstruorum* provocatio hunc morbum sanat:



*sanat: & notatu digna est obs. Thoneri lib. 4. obs. 1. in qua agitur de Ischiadico malo in viro, qui Hæmorrhoidum fluxu laboravit, qui non alio auxilio, quam Hirudinum usu curatus fuit: ubi author de Hirudinum salutaris usu hæc verba addit: ex in ingens ille cruciatus, aliis invictus, evanuit, & monitorium reliquit, quantum momenti conferat, ad prosperam medelam exacta morborum & causarum cognitio; similiter Hirudinum usum in Ischiade salutarem deprædicat Diemerbræck obs. 87. annot. p. 113. imprimis vero commendamus tractationem de Malo Ischiadico in Pathologia Cel. Stablii sæpe allegatam; quemadmodum calculum suum nobis illæ observationes adjicient, quæ sanguisugarum utilitatem in variis affectibus probarunt, sub quibus ut plurimum etiam Ischiadicus affectus comprehensus est: & hæc loco alicujus præparationis ad reliquam applicationem & deductionem quadrare possunt.*

### §. VIII.

Juxta hæc multas observationes formalem Mali Ischiadici rationem ipsis Celeb. Stablii verbis in Pathol. p. 1071. tradimus: unde aliter certe non possum, quin Ischiadici doloris ætiologiam præcipue fundem in spastico apparatu contentionum ad hæmorrhoidales eruptiones, quasi respectantium atque destinatarum; interim nec exquisitè & maxime ordinate, eo pertendentium: neque tanto minus eodem perpetuo, imprimis sine externa ope, pertinentium: exinde inclarescit, quod hic affectus sit molimen spasticum ad Hæmorrhoidalem excretionem, per externas præcipue hujus nominis venas, destinatum, ob varias vero vel morales vel physis causas remotius & minus tantum eo contendens, rarius tamen sponte, aliquando tamen sub artis adminiculantis concursu eo per-



*perveniens & tempestivo successu in futurum molestas invasiones & nocivas consecutiones avertens: Quod itaque hic affectus essentialiter in Spasmo satis forti consistat, ipsa species & perceptio dolorum testatur, qui modo vagi strictorii, modo fixi tractorii existunt, unde sub levi voluntaria constrictarum talium fibrarum commotione, valde dolores illi exacerbantur; aut si in diuturna acerbiori continuatione persistunt, contracturam & ariduram post se relinquunt: dum fibræ arefiunt & in hac siccitate, rigiditate & immobilitate perennant: sicut vero alias molimina excretoria, vel proximiora, vel remotiora existunt & in hac qualitate cum aliis negotiis humanis, imo plane moralibus, conveniunt, ita hic spasmus in præsentī affectu non cominus, sed eminus ad Hæmorrhoides, tendit, proptereaque in tali statu nunquam sponte eo pervenit, nisi temperatiores motus, proximius in loca Hæmorrhoidalia transferantur & invitentur, ut tandem actualis eruptio consequatur: & quemadmodum Podagricus affectus æque spasticum & adhuc remotius conamen hæmorrhoidale est, id quod in variis locis *Celeb. D. D. Stablius & D. D. Præses* sufficienter & solidè demonstrarunt, ita ob distantiam loci & augmentum motus, *Ischiatica* a processu hæmorrhoidali separari haud debet: nec quicquam valoris continet *levidensis* contradi-ctio, quasi aut ante hujus mali invasionem, aut sub hac, aut post eandem Hæmorrhoidum fluxio contingere debuisset, si uterque status connectere deberet; in qua objectione triplici huic respectui ex observatione practica satisfacere licet, quod videlicet quidam *Ischiadici* ægrotantes ob Hæmorrhoidum prægressarum retentionem & obstructionem in hunc affectum delapsi fuerint: aliqui ob anomalum & in-*

suffi-



*sufficientem* Hæmorrhoidum fluxum hoc malum patiantur, aliqui denique ab hoc malo vel in *totum*, vel in *tantum* per *tempestivum* Hæmorrhoidum *recursum* liberentur: interea tamen dantur etiam Ischiadici, quibus *nunquam* Hæmorrhoides ad *exitum* pervenere, in quibus nihilominus affectus ille cum negotio hæmorrhoidali *conspirat*: Quod si itaque *ætatem*, *temperamentum*, *sexum*, *diætam*, *vitæ genus* &c. in plurimis observationibus, *excepta* ratione singulari *hæreditariæ dispositionis*, annotaverimus in *Ischiadicis* & subjectis ad Hæmorrhoides suscipiendas idoneis, tunc facile etiam ex hoc *exquisite practico* & reali respectu, *utriusque* status *consensum* agnoscemus: contendunt itaque *bi* spasmi ad *externas* præcipue Hæmorrhoides & quoniam hæ ratione *vicinitatis loci* & convenientiæ *motus*, cum internis *consentiunt*, ita etiam mediante & vi *hujus consensus*, cum *internis* hæmorrhoidalibus profusionibus aliquando *conspirant*, attamen *illi* spasmi, in *Ischiatica* obvii, *eminus* circa loca hæmorrhoidalia vagantur & ob *diversas* causas a *legitimo* motu & exitu hæmorrhoidali ratione *gradus* motus & *loci* discrepant: sicut enim *facilior* & *convenientior* eruptio hæmorrhoidalis *leniori* & placidiori *congestione* ad *venas* hæmorrhoidales absolvitur, ita in hoc affectu loco *congestorii* motus, acerbior *spasticus* motus affligit: qui *posterior* etiam in *exterioribus* regionibus *ischiatricæ* & *coxendicum* regiones pererrat, imo aliquando plane in *superiores* & *inferiores* regiones evagatur: quemadmodum vero *venæ hæmorrhoidales externæ* sanguinem in *iliacam internam* venam revehunt, ita *rami iliacæ internæ* in *illos* musculos distribuuntur, in quibus prædicti *spasmi* cruciatus & tragœdiam suam exserunt, in quem



nexum etiam *externæ iliacæ* ramuli & inter hosce ab aliis medicis *ischias superior & minor*, referri merentur; quam ob rem etiam prædicti *antiquiores* medici non modo *sanguifluam*, sed & hanc, quam *Ischias* vocant, venam in hoc affectu seorsim notarunt: quare ob hunc *consensum motus progressivi*, qui inter hæmorrhoidales *externas* & reliquas nominatas intercedit, *molimina* hæmorrhoidalia nunc *proximius* circa venas hæmorrhoidales, nunc ob intercurrentia *impedimenta*, motuum horum aberrationem & *evagationem* provocantia, *remotius* circa alias *consanguineas* venas & *connexas* reliquas partes, contingunt & in *posteriori* statu, *aliquando ischiadicum* hunc affectum constituunt.

§. IX.

Hactenus *formalem* Ischiadici affectus causam allegavimus, demonstravimus & confirmavimus; nunc *alias* causas, quæ eo *disponunt*, indicabimus: de quibus *generatim* asseveramus, quod *illæ* causæ, quæ ad *arthritiden*, *nephritiden* & *Podagram* contribuunt, etiam hunc affectum invitent: Siquidem non parum ad Ischiaticæ provocationem *hæreditaria* propagatio contribuit, quando ab *arthriticis*, *nephriticis*, *ischiadicis*, *podagricis*, & *Hæmorrhoidum* anomaliis affectis parentibus, infantes generantur, qui *facile & mature similibus* cruciatibus, adhuc *acerbioribus*, subjiciuntur: proinde tamen in causarum *naturalium* seriæ *ætas* & talis quidem ad hoc malum disponit, in qua *hæmorrhoidalis* processus contingere solet: deinde idem *Temperamentum*, quod *Hæmorrhoidibus congruum* est, nec non ejusdem etiam *sexus* subjectum, huic malo obnoxium est. hinc maribus, aut *masculino* sexui etiam per hanc  
ratio-



rationem *familiar* hic est affectus, cui *præfæminis* Hæ-  
 morrhoides *frequentius* eveniunt: quemadmodum vero  
*fæminæ hæmorrhoidariæ*, licet comparate *variores*, dantur,  
 ita etiam *Ischiadicæ fæminæ* occurrunt: præterea hunc  
 affectum causatur *plenior* sanguinis copia, præcipue quæ  
 variis *moralibus & physicis* causis & occasionibus *valde*  
*commovetur*, ut propterea conatus *hæmorrhagici* ingruant:  
 in qua causarum serie minime obliteranda, aut levipen-  
 denda est, *singularis* propensio in Hæmorrhagias aut *præ-*  
*cedens* consuetudo subeundi Hæmorrhagias, quando præ-  
 cipue *spontaneæ* tales sanguinis evacuationes in aliquam  
*ataxiam*, aut quendam *defectum* abierunt, vel quando sub-  
 ordinatæ *artificiales* sanguinis subtractiones aut *amethodi-*  
*ce* & irregulariter susceptæ, aut *perverso animi & corpo-*  
*ris* regimine, *salutari* sua operatione *destitutæ* fuerant:  
 quare *tempestivæ & congruæ* sanguinis depletiones, præ-  
 sente illius *molesta* ubertate, cum *certo* effectu hoc malum  
 aut *avertunt*, aut *præservant*, modo *reliquæ* circumstan-  
 tiæ *juste* concilientur: recte itaque *Forestus loc. sæpe cit.*  
*lib. 29. obs. 18. schol.* de causis hujus affectus judicat, quando  
 dicit: *conferunt etiam & gymnasiorum & eduliorum tum*  
*quantitas, tum qualitas, item anni tempus & regionis ac*  
*aëris constitutio, insuper & ætas & habitus corporis & re-*  
*liqua hujusmodi*: siquidem e rerum sic dictarum *non na-*  
*turalium* numero *variæ* causæ hunc morbum convocant:  
 sic *viçtus plenior & spirituosior, potus saturatior & genero-*  
*sior*, ad sanguinis *augmentum* & præjudiciosum *incita-*  
*mentum*, proinde etiam ad *molimina hæmorrhagica* con-  
 tribuunt; ita *alimenta & potulenta*, quæ in genere *sanguini-*  
*nis motum valde* augent & *præjudicioso* impulsu agitant,



seorsim vero motus *hæmorrhoidales* nimium concitant, eo-  
que ipso aut *obruunt*, aut *confundunt*, velut sunt valde *aro-  
matica*, *vina* præcipue *recentia*, crassius *sulphurata*, &c. fa-  
cile hunc affectum alliciunt: præterea vel *nimis sedentaria*  
vita, quæ ad sanguinis *accumulationem*, ominosam *crassiti-  
em* & *difficilem* ejus progressum, insuper etiam multiplices  
*stagnationes* contribuit, ut pro singulis hisce molestiis &  
nocumentis *avertendis*, æque molimina *hæmorrhagica* su-  
scipiantur, perinde ad hoc malum disponit: sicut vicis-  
sim *excessiva*, impetuosa & cum multo *orgasmo* perverso  
conjuncta corporis & *sanguinis* commotio *eundem* affe-  
ctum excitare solet, dum sub *aliarum*, huc quadrantium,  
causarum concursu conatus *tales hæmorrhagicos* eluctato-  
rios provocat: & quando *tot* causæ, *distinctæ* qualitatis,  
*magnæ* efficaciae & in perversum valde statum, vitalium  
motuum *ordinem* conjicientes concurrunt, tunc molimina  
*hæmorrhoidalia* certius & facilius in *anomalum* & exorbi-  
tantem statum transeunt, ut loco *temperatæ congestionis*, in  
locis *proximis* necessariae, vehementes & *acerbiores spasmi*  
in *distantibus* regionibus & partibus affligant, ad eundem  
quidem finem *excretorium* tendentes, sed *haud* facile spon-  
te *eo* pervenientes, quin potius in *irregulari* hoc tramite  
persistentes & increbescentes: nec oblivioni tradi debent  
*anni tempora*, quibus molimina *hæmorrhoidalia* in multis  
subjectis *reverti* solent, qualia præcipue *æquinoctialia* exi-  
stunt, *quibus* etiam *ischiadicae* tales afflictiones irruere so-  
lent, quæ ex hac pariter circumstantia *consensum* suum cum  
negotio hæmorrhoidali comprobant: aut quando post  
*præviā* admodum *calidam* tempestatis qualitatem, sub  
qua sanguis *valde* impellitur & præter præsentem suam *ab-  
undan-*



*undantiam molestior redditur, ut propterea facilius motus hæmorrhagici ingruant, frigida nunc adspirat aura, aut frigidi afflant venti, sub quibus corpus antea perquam calefactum & sanguis nimium expansus valde alterantur, ut præter liberalioris transpirationis aliarumve excretionum repentinam offensionem & oppressionem, sanguinis hætenus consueta efficacior & potentior commotio graviter turbetur, hinc subito tales anomali & pertinaces motus hæmorrhoidales in subjectis, prædictarum qualitatatum suscipiuntur: eam ob causam frigus magnam efficaciam, provocandi tale malum, quod aliàs rigida spastica fibrarum constrictione sese exserit, habet, siquidem ejusmodi observationes de Ischiatica refrigerio excitata occurrunt in A. N. C. dec. 3. an. 7. obs. 207. & in Lentilii Fatromnemat. theoret. pract. c. 32. p. 147. & reliquis supra memoratis authoribus: etenim facile homines, qui jam in similes morbos inclinant, ex in & externa corporis exæstuatione & subito alternante in & externa ejus refrigeratione, affectus sui impetuosum & suspectum recursum invitant.*

§. X.

*Inter omnes causas remotas & impulsivas, nulla sane majoris potestatis & citioris ac certioris activitatis est, quam quæ ex immoderatiore animi operatione præc. pathetica proveniunt: quare homines præcipitis, iracundi, impatientis, variabilis, impetuosus, multis adversis & ad indignationem disponentibus negotiis occupati, aut multiplicibus arduis & operosis actionibus indulgentis animi, præter reliquas causas facile in hunc morbum incidunt, dum antea ob talem mentis qualitatem in motibus hæmorrhoidalibus varias ataxias perpeffi sunt, hinc ejusmodi ani-*



mi qualitates *similes irregulares* Hæmorrhoidum profecutiones invitant: quæ licet aliquando *erumpant & fluant*, tamen semper *malis* qualitatibus præditæ sunt: *talibus* animi motibus, *hoc malum* provocantibus, accelerantibus, exacerbantibus & in *pertinaciorum* gradum transferentibus annumeramus affectum *Veneris*, sive fervidam libidinem, quæ, sicut in aptis subjectis motuum *hæmorrhoidalium & diversorum*, ratione *loci* variantium, *spasmodum* mater & nutrix est, ita hunc affectum, facile convocat & confirmat: hinc *plurimi* medici, quorum jam fusius in præcedentibus mentionem injecimus, de *Venere* testantur, quod *Ischiadicos* extreme lædat. *conf. Forestus Lib. 29. obs. 19. Fortis Tom. II. conf. 73. p. 576. Cent. 4.* siquidem affectus ille non modo *fortiores* commotiones sanguinis excitat, sed *largiorem* affluxionem in *vicinitates* locorum *hæmorrhoidalium* causatur, ut dehinc in subjectis, vel *subtilius* vel *crassius* in *hæmorrhoides* inclinantibus, tales *anomalicæ* Hæmorrhoidum profecutiones oriantur: Et quamvis porro aliàs facile *alvi obstructio* hunc affectum *comitatur*, tamen vicissim omnes causæ *pertinacem* talem *retentionem* inferentes, non modo legitimum motuum & moliminum, imo successuum *hæmorrhoidalium* statum turbant, sed & subinde eminentes tales *anomalias* hæmorrhoidales, quibus *Ischiadem* etiam annumeramus, excitant: quæcunque causæ *vias urinarias & spermaticas* sensibilibiter commovent & *stimulant*, illæ æque hunc affectum provocant, quia motui & negotio *hæmorrhoidali* facile *perversas* qualitates communicant: id quod fusius *D. D. Præses in tr. de Hæmorrhoidibus* demonstravit: & quoniam copiosa *bilis* profusio intra *intestina & massam sanguinis* graves alterationes

*spas-*



*spasmodicas & orgasticas* causatur, hinc ob *hanc* rationem dispositio ad *Hæmorrhoides* valde perverti & ob *hanc* confusionem *Ischiadicum* malum *originem* trahere potest & solet, hinc multi *inverso* causas connectendi ordine, *bilem* pro *principali* hujus affectus causa agnoscunt, quæ tamen *remota & impellens* existit: Præterea etiam notare convenit, quod tales *spasmi*, cum *congestionibus & rheumatismis* alternantes, in ejusmodi locis modo suspectas *secessiones* humorosas *acres*, modo stagnationes & *tumores*, modo *stases & consequentes inflammationes, suppurationes, ulcerationes, synovias*, aut *paralyticas* alterationes causari queant, quæ *consecutiones* perperam pro *formali & principali* ratione hujus affectus declarantur: exinde facile liquet, quod *entia* præter necessitatem *multiplicare* haud conveniat, videlicet causam hujus affectus *formalem*, quoniam *ab illa, quam* hætenus demonstravimus & *confirmavimus*, reliquos *secundarios* effectus & *accidentales* consecutiones, sine ulla *coacta* & vana præsumptione aut suppositione derivare possumus & modo *conciliavimus*, proinde tamen *anomalicus* Hæmorrhoidum status, cui modo præsentem accensuimus affectum, facile molestam & morbosam humorum *dyscrasiam* introducere potest & solet, quando videlicet *ordinariæ* salutares *excretiones* frequentem & magnam perversionem subeunt: quas singulas itaque alterationes in *Therapia* rite tractandas, in *Pathologia* vero cum *formali* ratione non confundendas esse judicamus. Quod denique aliis *acerbioribus & diuturnioribus* Spasmis accidere solet, id etiam huic morbo, si *hasce* qualitates assumit, evenit, ut videlicet partium *affectarum* *aridura, contractura, tabes, stupor* & ob *eximiam aliarum* fun-



functionum, *vitalem* œconomiam concernentium, perturbationem, *bectica*, aut prægressorum *immoderatorum* spasmodorum *contrarium*, videlicet *atonia*, *paralysis* & tandem mors ipsa consequatur: Quod vero huc usque de *Hæmorrhoidibus* diximus, idem valet de *Mensibus*: siquidem aliquando ob *insufficientem* aut *deficientem* Mensium successum fœminæ *hæmorrhoidalibus* motibus subjiciuntur (*vid. D. D. Præsidis disp. de Hæmorrhoidibus Fœminarum, de Hæmorrh. Gravidarum & Puerperarum*) in quibus superveniens Malum *Ischiadicum irregulare & anormale* molimen ad *Hæmorrhoides* inferendas, aut *Menstruas* purgationes sublevandas & *restituendas* existit: Quæ singulæ considerationes & rationes in *Pathologica* hujus affectus explicatione sufficere & satisfacere possunt.

§. XI.

*Practicam* denique subnectimus tractationem & in hac necessarias quasdam *Cautelas* commendamus: quare in præsentis affectus curatione *confusæ subtractiones sanguinis* valde *nocent*: haud quidem nos latet, quantus *disensus* inter medicos, præc. *antiquiores* occurrit, quoad *regionem*, e qua sanguis evacuari debeat, ubi quidam *superiorem* præferunt, alii improbant: nos brevibus indicamus, quod *vagabunda* & inconstans talis missio sanguinis totum affectum magis *pervertat* & *contumacem* reddat: neque tamen propterea negamus, quod *immoderati* motus *congestorii* & pertinaces eluctationes *hæmorrhoidales* evacuatione sanguinis in *superioribus* regionibus instituta, *ad tempus* mitigari queant, attamen *in futurum totum* morbi schema magis *intricatum* & complicatum facile redditur, ut præsentis *anomalie* hæmorrhoidales magis ob-

*fir.*



*firmentur* & exacerbantur: deinde subtractiones sanguinis, *curatorio* scopo *indiscretim* institutæ, *ut plurimum* in hoc affectu *sinistram* & alienam operationem nanciscuntur, quid quod efficiunt, ut *præsentes* dolores *acerbiores* & contumaciores evadant: *negligentior* vero sanguinis, ejusque *motus* præc. *eluctatorii* æstimatio & *directio* perinde huic affectui perquam *præjudiciosa* est: quare *absoluta* intermissio *artificialis* depletionis sanguinis, æque *nociva* existit: *Vomitoria* in hoc affectu *facilius male*, quam prospere operantur, quia hosce spasmos cito in *internas nobiles* partes convocant, & colicam convulsivam, spasmus & convulsionem ventriculi, inflammationem hujus & intestinorum, asthma convulsivum, aliosque repente lethales morbos causantur: quando vero *emesis utilis* judicatur, tunc illa *lenissima* sit & sub provida corporis *præparatione*, prout videlicet *individuales* & *speciales* circumstantiæ requirunt, suscipiatur: proinde in hoc affectu aliæ *impetuosæ* evacuationes sedulo *omittantur*, quæ aut periculosam hujus morbi *translationem*, aut valde præjudiciosam illius *complicationem*, aut perniciosam repentinam illius *exacerbationem* causantur: *nocent* porro omnia remedia *concentrata* & *simul sanguinem* valde *commoventia*, quæ ominosas *congestionem*, *inflammatorias* comminationes & *febriles* commotiones provocant, & dum fibras, nunc *spastico* motu præditas, *magis afficiunt* & offendunt, ita *spasmos augent*, humorumque *stagnationes*, *stases*, corruptiones, partium vero ariduras & contracturas post se trahunt: *evitentur* etiam remedia *communia narcotica*, quæ dolorem quidem cito sopiunt & *sedant* sed suspecta & pe-

F

ricu-



riculosa *confectaria* convocant, velut ominosos *tumores*,  
 aut *ædomatosos* aut alios, *stupores*, *paralyticas* afflictio-  
 nes, *se - & excretionum* salutarium *turbas*, *cachexiam*,  
*tympanitem*, *asthmata* suspecta, similiaque intricata mor-  
 borum schemata: *nocet confusa indicationum* therapevti-  
 carum administratio, quando præc. *posthabitis principa-*  
*lioribus* respectibus cura *magis* ad humorum *intempe-*  
*riem* corrigendam redigitur & *opportunitas temporis* cum  
 aliis *magis necessariis* operationibus therapevticis, *negli-*  
*gitur*: *noxam* afferunt *topica* valde *emollientia*, quæ su-  
 spectas humorum *stagnationes*, partium *atonias* & *tumo-*  
*res* pravos caufantur: præcipue vero perquam *pernicio-*  
*sa* sunt quælibet *repellentia*, quæ in *interna* & nobili cor-  
 poris regione spasmos, convulsiones, stagnationes & sta-  
 ses, inflammationes, imo repentinam corruptionem cau-  
 fantur; quam ob rem, *plurimi* medicorum *hujus* effica-  
 ciæ remedia valde *improbant*, ex quibus hoc loco tan-  
 tum allegamus *Schesnickium lib.V. tit. liberati ischiadici obs.*  
*9*: obsunt *interna* & *externa* refrigerantia, quæ necessa-  
 rias & salutes *evacuationes*, humorum *progressiones* &  
 fibrarum motricium *congruam* lenitatem & *flexilitatem*  
 valde turbant: damnum etiam afferunt remedia *roboran-*  
*tia* & *tonica* inopportuno ordine & tempore ordinata,  
 quæ magis *præsentem* spasmodum *acerbitatem* augent:  
 quæcunque remedia motus *hæmorrhoidales* magis *pertur-*  
*bant*, sanguinem *incrassant*, *viscera* interna *obstruunt*,  
*externarum* etiam affectarum partium *obrigescentiam* au-  
 gent, illa in hoc affectu magis *inimica* sunt: quare commu-  
 nis *martialium* usus *facilius* & certius nocet; nec non *spi-*  
*rituo-*



*rituosorum* concentratorum topicus usus plus officit, quoniam fibras, semel *spasmo* detentas, magis *rigidas* reddunt: proinde *volatilium* usus *externus* valde circumspectus sit: neque *unguinorum* & *siccorum* usus topicus *securus* est, quoniam *poros* valde *obstruunt*, fibras vel nimium *emolliunt*, vel illarum inimicam *stricturam* adjuvant: nec *rubefacientia* & *phænigmi* constanter aut facile aut frequenter opem ferunt, sed plurimum *palliativum* effectum edunt: a quibus singulis *experimentis* & modis *perversis* in hujus affectus Cura sollicitè abstinendum est; quæ potiores in hac Therapia observandæ sunt Cautelæ.

§. XII.

Positiva hujus affectus Cura sequentibus *indicationibus* rationalibus *therapeuticis* comprehensa est: 1) ut *primæ viæ* ab *impuritatibus* liberentur, 2) ut motus *spastici* *leniantur*, *temperentur*, *sedentur*, 3) ut *diversione* congrua iidem motus vel *eminus*, vel *cominus* corrigantur, 4) ut *symptomata* urgentia avertantur, ut 5) denique *Præservatio* idonea ordinetur: *Prima* indicatio perficienda est congrua *laxatione* pro diversitate *temperamentorum* cum aptis remediis instituenda; huc quadrat *Rhabarbarum* cum decocto avenæ passulato extractum, aut *Manna* cum simili decocto soluta, addito oleo amygdal. dulc. & *crystall. tart. ant. tamirindi* cum tali decocto elixati, aut *Sal Anglicanum*, aut *Magnesia alba* cum decocto tali aut jusculo non valde pingui, *mixta*: quæcunque enim remedia præter *laxantem* effectum una *leniunt* & demulcent, aut modice *emolliunt*, illa in hoc affectu perquam *utilia* sunt: si quæ subjecta *facile* ad *alvinam* excretionem duci possunt,



sunt, nec copia bilis prohibet, illis Syrup. de Cichor. c. Rhab. Syr. rofar. solut. cum Crystall. tart. in decocto avenæ mixt. & solutus conducunt; in aliquibus subjectis *Magnesia alba* ut & *Sal anglicanum* confert; Deinde in *Alterâ* indicatione motus fortiores spastici *leniendi* sunt & quidem decoctis dilutioribus C. C. avenæ, hordei: quemadmodum pro *potu ordinario* præscribi potest decoctum parandum ex rad. Scorzon. farfapar. Cichor. fœnic. gramin. herb. chæref. millefol. arnic. fl. Sambuc. chamom. vulg. Sem. fœnic. bacc. laur. & junip. C. C. raspat. passul. Maj. & min. cort. Citr. rec. aven. excortic. & nitr. purif. providendo ne decoctum tale nimis saturatum sit: *similem* effectum habent *Gelatinae* aut *domesticæ*, aut *pharmaceuticæ* leviter acidulatæ, præc. si sanguinis *orgastica* commotio conjuncta fuerit: conferunt etiam *lacticinia*, *modica* quantitate usurpanda, præc. si *primæ viæ* ab impuritatibus *biliosis* & *acidis* liberatæ fuerint: in *sensibilioribus* subjectis conducunt emulsiones ex aquis destill. Scorzon. chæref. Millef. Veronic. fl. Sambuc. acac. ceras. nigr. amygd. dulc. Sem. frig. maj. paratæ: *extrinsecus* leniunt fomenta vaporosa ex fl. chamom. utriusque, melil. sambuc. aneth. acac. spic. stæchad. utriusque lavend. croc. orient. herb. matricar. c. flor. meliss. betonic. parata; huc proficit empl. Sapon. Barbette c. Cerat. de ammoniac. & pauxillo Empl. de Galb. Crocat. nec non Camph. servata illa circumspeditione, ne emplastrum tale *immediate* dolenti parti, sed supra linteolum prius applicatum adhibeatur, deinde ne *nimis diu* supra locum illum relinquatur; sed *alternatim* applicetur, iterumque aliquandiu removeatur: pari modo



do conducit cataplasma ex Semine fceni cum tantillo croci orientalis & lacte paratum, intra linteamina ad locum affectum *modice calidum* per horulam appositum: Deinde jungantur *temperantia* remedia, velut pulvis ex nitr. purif. gr. vii. tart. vitriol. Corall. rubr. ppt. & C. C. s. ign. gr. v. cum gr. j. Cinnab. propinetur ejusmodi pulvis singulis *tribus horis*: aut exhibeatur potio ex prædictis aquis destill. Syrup. rosar. solut. papav. rhæad. spirit. nitr. dulc. ita etiam *oleum Vitrioli dulce* in hoc affectu temperantem efficaciam promittit: plus vero ab ipso *nitro depurato* sperandum est, quod etiam *variis formulis* combinari potest: Et si hæc lenientia & temperantia *pertinacem* forte affectus gradum *infringere* haud possunt, tunc selecta & *secura sedantia* interponere licet: ex illis ordinamus & admittimus *interne emulsiones* Papaveraceas, Decocta prædicta cum florib. chamom. vulg. sambuc. papav. rhæad. aneth. socianda; aquas destill. fl. paralyf. ceras. nigr. naph. sambuc. acac. aneth. meliss. huc referimus parcum & valde refractum usum croci orient. eodem effectum satisfacit *Cort. Chaccarill.* aut in *pulvere*, aut in *extracto* cum prædictis potionibus offerendus: *Cinnabarina* modica quantitate concessa, similem virtutem possident: *extrinsecus* plurima ante nominatorum *sedantium* remediorum conferunt: quibus si temperantia & lenientia in methodo medendi *subjungantur* certius & securius singula in hoc malo opem suam conferunt: *narcotica* & vulgaria opiata locum hîc *haud* inveniunt, quorum effectus *minus securus* est, licet *dolores* ad sensum minuant: proinde etiam in *sensibili* hoc affectu cum *theriacalibus* medi-



camentis *caute* procedendum est, quæ plus *externo*, quam interno usu admitti possunt.

§. XIII.

In Curatione hujus affectus præterea juxta *tertiæ* indicationis tenorem conducunt auxilia, quæ aliquali *diversione* motus immoderatos & *exorbitantes* spasticos corrigunt: Hæc diversio peragi potest, vel per *Clysteres lenientes*, haud tamen admodum acres & stimulantés (usum Clysterum in malo Ischiadico commendatum videas in *Zac. Lusit. Med. Princ. Hist. Lib. 3. histor. 30.*) qui dum loca *hæmorrhoidalia* modice relaxant, ita non modo *liberiores* affluxum sanguinis ad illa invitant, sed & *faciliorem* progressum ejusdem per *connexas* regiones adjuvant, adeoque *præsentem* conatum *anomalum* excretorium perquam alterant: porro congruam *diversionem* conciliant *leniora diuretica*, quæ motus spasticos *a loco*, quem detinent, non modo *avocant*, sed in confinia *proximiora* hæmorrhoidalia transferunt & denique *serum inimicum*, sanguinis temperiem violans, *orgasnum* sanguinis sustentans, vias *stimulans*, ex spasticis motibus copiosius *genitum* evacuant, sicque non modo *motibus*, sed & *crasi* sanguinis *corrigendis* inserviunt: talia *diuretica* esse debent *mitiora*, ne *subitaneo* impetu spasmos ad *interiores* & *nobiliores* partes convocent: huc pertinent prædicta *Salina*, Nitrosa, Salia media, crysalli tartari, Spiritus Tartari, Tinct. tartari cum spirit. nitri dul. essentiaque succini combinata: aut mixtura ex ess. vincetox. juniper. sem. fœnic. Succin. spirit. tartari & nitri dulci: vel exhibeatur pulvis ex lap. cancr. citr. lumbr. terr. corall. rubr. ppt. & nitri.



nitr. depurato : vel immisceantur temperatae species diureticae praedictis decoctis : observata cautela, ne praesente *orgasmo* aut *febrili* motu sanguinis *spirituosa* ordinentur : praeterea convenientem *diversionem* largiuntur mitiora *rubefacientia*, furis aut pedum plantis apponenda : quo aliqui *emplastra* rubefacientia referunt. *conf. Diemerbræck. obs. 87. p. 113. Rhases lib. de mirabilibus curis. Zac. Lus. l. c. hist. 28. p. 548.* multique alii : quare Sydenhamius *Opp. med. p. 486.* ad malum Ischiadicum & Podagram *Moxam*, videlicet *linum crudum* juxta *Hippocratem* laudat ; talia experimenta, licet *gravitatem* doloris ischiadici valde *alterent*, ut dolor *novus* excitatus, *praesentem* obruat, tamen haec cura non *fundamentalis*, sed *palliativa* est, quae tamen in congruis *subjectis* & *occasionibus*, praemissis praemittendis, & subjunctis jungendis, etiam locum habere potest : porro *diversionem* subministrant *manuluvia*, frictiones lenes loci affecti cum *panno* aut *excusia molli*, cucurbitulae *caecae* *scapulis* applicatae, quin plane *hirudines* ad loca haemorrhoidalia *curatorio* etiam scopo, *praeparato* prius corpore adplicati ; quare tot testimonia *hirudinum utilitatem* in hoc affectu concelebrant, qualia non modo §. 7. allegavimus, sed quibus addimus suffragia *Riverii & Reebii*, quae profert *Bonetus in Thesouro practico Libro V. cap. 32. p. 458.* hisce verbis comprehensa : *ex Haemorrhoidibus etiam sanguis per hirudines eductus, mirum in modum Ischiadicis opitulatur, quod sanguis in coxendicum venis contentus educatur : harum enim partium maximus est per venas consensus : conf. Celeb. D. D. Stablii diss. de Sanguisugarum utilitate & Pathologia p.*



1072. 1073. *sub tit. mali ischiadici. disp. de Podagræ nova Pathologia p. 27. Ischiatico-artbritici dolores, obortis Hæmorrhoidibus aut in tempore adhibitis Hirudinibus, certissime cessant: continuante Hæmorrhoidum talium per stata tempora fluxu constanter desinunt: conf. etiam ibid. p. 29. ubi plura talia testimonia prostant: Derivantur etiam spasmi e loco affecto leni commotione corporis, quantum circumstantiæ permittunt; quare Hippocrates de internis affect. §. 57. text. 7. dixit: Ischiadici modice deambulare debent, si potentiores sunt, plus & text. 9. lecto circumferri debent: Fortis Tom. II. Cent. 4. conf. 72. p. 576. & conf. 75. p. 581. judicat: Motus & assidui flexus coxæ magnopere præstant. conf. Forestus Lib. 29. obs. 19. schol. p. 441: qua corporis commotione fibræ in ordinariam flexilitatem derivantur & spasmi avertuntur: quæ diversa derivantia justo ordine adhibita, multam opem in hoc affectu conciliant.*

#### §. XIV.

*Symptomata præjudiciofa sub hac medendi metho- do congrue mitiganda sunt, e quibus alvi suspecta oc- clusio prædictis lenientibus & laxantibus internis, nec non clysteribus referanda est; qui posteriores, si simul modi- ce roborantes fuerint, urgentibus & angentibus flatulen- tiis opponi possunt: quo etiam pilulæ confortantes con- ducunt, quæ simul leniter alvum aperiunt: Si motus febriles, aut molesti orgasmi sanguinis concurrunt, præstat prædicta remedia temperantia, absorbentia, nitrosa, aut si cir- cumstantiæ permittant, mitius acidulata in usum trahe- here: Si intemperies sanguinis præsens fuerit, tunc præ-*  
domi-



dominantibus impuritatibus aut *biliosis*, aut *aliis* subvenire convenit *congruis corrigentibus* alterantibus & evacuantibus, quo *successive* massa sanguinis ab ejusmodi *impuritatibus* liberetur & dein motus *hæmorrhoidales* facilius in *ordinem justum* converti queant: pro hoc scopo *talialia* seligantur remedia, quæ *Cacochymia* emendandæ inserviunt: Si in locis affectis suspectæ humorum *stases* contigerunt, refert illas *internis solventibus* & leniter *diaphoreticis*, externe *balneis*, *fotibus* & *cataplasmatibus* emollientibus & discutientibus avertere: *Reliquiis* denique dolorum abigendis inserviunt Balnea sicca ex *formicis* conficienda, aut Mixtura ex Spirit. Lavend. Spic. Stæchad. arab. formic. lumbric. terrestr. Ess. croci &c. aut Cerat. de armoniac. Matrical. de galban. cum extr. croci & tantillo Camph. mixta: & ne dolores *acerbiores* reddantur, quando quidam patientes *plumaceum* lectum perferre nequeunt, *alia* tunc seligantur stragula & caveatur, ne locus *affectus* valde *exæstuetur*, sed potius ad *leniorem* transpirationem promoveatur: quo fons vaporosi & suffimigia ex flor. Sambuc. aneth. paralyf. lavend. spic. stæchad. utriusque rorismar. G. oliban. ladan. L. Santal. citrin. & pauxillo castorei instruenda quadrant: circa exitum curæ ordinetur Mixtura ex Tinct. antim. tartari f. Spirit. C. C. nitr. dulc. & Ess. Succini. *Præservatoria* Cura ultimo loco ita instituatur; motus *hæmorrhoidales* leniter, *efficaciter* tamen ordinentur, ut Hæmorrhoides in *justum successum* promoveantur, præservatoria *V*Sio in pede, nec non *alio* congruo tempore *Hirudinum* applicatio ad *hæmorrhoidalia* loca repetatur: multum refert, quo



quo excretiones *ordinariæ* debite & *constanter* procedant: aliquando collectæ impuritates primarum viarum *lenilatione* educantur: adhibeantur per intervalla pilulæ *Stahlianæ*: præcipue modica & constans *transpiratio insensibilis* conservetur & promoveatur: hinc & sensibile in & externum *frigus*, nec non in & externa nimia exæstuatio fugienda: *Acidulæ* & *Thermæ* temperatæ non parum emolumenti afferunt ischiadicis subjectis, *præservatorie præc.* adhibitæ: *Diæta* sit *temperata* & *liquida*, non valde salsa, acida, aut crassa & primas vias *cruditatibus* & *flatulentis* molestans: quæcunque alimenta & potulentia motus *hæmorrhoidales* pervertunt *primas* regiones turbant, sanguinis *temperiem* alterant, & liberum sanguinis *motum* offendunt, illa sollicite fugienda sunt: *Vinum generosum* modice & *medice* usurpatum plus valet, quam aliud: quare adulta *Mosellana*, aut *Hungarica* ischiadicis conveniunt: *Lactis* usus *diæteticus* ne sit copiosus & frequens: *Decoctum Coffee*, impr. spissum, omittatur: *juscula temperata* solertius adhibeantur, quæ multiplicem utilitatem habent: *Venus* eximie in talibus subjectis *nocet*, quibus propterea *Castitas* animi & corporis admodum commendanda est. Omnium maxime *Ischiadico* malo subjectis hominibus *continentia animi* commendanda est: nocet enim non modo omnis *immodicus* affectus, sed & quælibet *præcipitata* actionum consuetarum administratio, aut vagabunda, confusa immorigera illarum prosecutio; hinc *moderatio* animi admodum suadenda est: *rarissimus* enim est effectus, quod *metus Ischiadicum* malum curaverit, cujus reminiscitur *Boyleus* in  
expe-



*experimentis & observationibus physicis cap. 4. histor. 3. (conf. A. E. L. An. 1693. Mens. April. p. 182.)* qui propterea, haud pro *regula* in arte medica accipiendus est. *Motus* assiduus & temperatus corporis, nec non *peregrinationes* convenientes valde proficiunt: *aëris* intemperies nebulosa humida, & frigida præ alia nocet: quam ob rem *temperatæ* auræ corpus magis relinquendum est: *pedes & femora* constanter in temperato calore asserventur, a quolibet *suspecto* frigore vero arceantur: *nimiæ vigiliæ* sicut totam corporis œconomiam *turbant*, ita ischiadicis valde sunt infensæ: & hæc nobis *palmaria* sunt Requisite in Ischiadici Mali directione *Curatoria & Præservatoria* observanda. Sed desistendum tandem est! DEO Benignissimo devotissimas grates tribuentes, quod almo suo auxilio in præsenti labore nobis adesse voluerit, eumque etiam humillime rogantes, quo cælesti sua directione efficiat, ut conatus nostros salutaris & exoptatus semper coronet

F I N I S.

---

CLARISSIMO ET PRÆCLARE DOCTO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

JOH. CHRIST. EHRLICH,

M. D. ET PR.

**M**edicus artis medicæ peritia & morum probitate præditus esse debet. Hæc sunt fulcra illa, quæ continua conspiratione inter se invicem concatenata famam praxinque



*Medici suffulciunt. Hæc sunt, inquam, flumina, quæ aqua scatent dulcissima, qua Medicus mentem fama flagrantissimam reficere potest. Veram, profundam, perfectamque in omnibus Medicinæ partibus rationis & experientię fulcris fundatam intelligo peritiā, non superficialiā, historicā & imperfectā. Huic peritiæ morum probitatem adjungendam esse merito censeo. Boni enim mores nos ad prudentem, omnibusque gratam in societate humana vitam agendam adornant: Quamvis Medicus descripta peritiā præditus undequaque spargeret famæ splendorem, morum vero probitate non excelleret, Sui sane aurea torque exornato comparandus esset. Tu, CANDIDATE Præstantissime, Fautor & Amice Aestumatissime, per totam Tuam vitam artis medicæ peritiæ morumque probitati serio seduloque operam navasti, & priusquam Te studio medico accingeres, scholas humaniorum linguarum, Philosophiæ, nec non Theologiæ sedulo frequentasti, perpendens, quod studium concernit theologicum, quod initium sapientiæ sit timor Domini, & quod medico certo respectu theologi personam agere conveniat. His omnibus anxie amplectatam adjunxisti morum probitatem, qua Te omnibus gratum amabilemque reddidisti. Arti apollineæ demum ita incubuisti, ut nihil intactum relinqueres. Quæ tua probata virtus, peritiā & morum probitas, Almam Fridericianam moverunt, Te Summis in Medicina honoribus digne exornatum dimittere. Accipe hinc lauream, laureatusque abeas ad Tuos ægrorumque solamen; Ad utrumque cordicitus Tibi gratulor. Sic redeat Te redeunte ægrorum salus. Vale mibique fave, semperque ut me habeas Tibi commendatissimum oro rogoque Vale! Dab. e Musæo d. 6. Decembr. MDCCXXIX.*



**S**i spectem Suras, Ventrís, Capítisque figuras  
 Admiror | vere tam parvis magna latere  
 Si Tua scripta tero, mihi commoda maxima spero:  
 Obstupeo parvis per magna latere sub arvis  
 Dexteritate virum miror super omnia mirum  
 Et Phœbo plenum Te dixero Iure Galenum,  
 Qui Laurum donat, quem Fridriciana coronat,  
 Quæ post sudores meritos Tibi ponit honores  
 Hoc lege tot Lustris, quod gaudet pontus aplustris  
 Cumque sat expertus medicâ sis arte repertus,  
 I, tangas venas, nummisque impleto crumenas.

*His Doctissimo Domino Respondenti Contu-  
 bernali suo Honoratissimo applaudere  
 voluit*

H. Zollicoffer ab Altenklingen,  
 Helvetus St. Gallens. Med. Cand.

**D**er Tag, der Deinen Fleiß, Gelehr- und Wercher  
 Freund,  
 Mit Ruhm und Glanz erhöht, und Dir den Purpur zollet,  
 Nührt von Astræens Gunst, die es so gütig meint,  
 Und eben heute Dir besonders wohl gewollet;  
 Die Probe weist es aus, daß Du diß schon verdient,  
 Dahero, da Dein Fuß den Appenin ersteiget,  
 Woselbst Dir Ehr und Preiß vor Dein Bemühen grünt,  
 Fridriciana auch Dir den Scarlat dort reichet;  
 So ist's kein Wunder, daß mein froher Geist sich regt,  
 Und Dir die Freundschafts-Pflicht, so wie es sich gebühret,  
 Aus ächt und reinem Trieb glückwünschende darlegt,  
 Zum Zeichen, daß der Strahl des Purpurs mich auch rühret.  
 Nimm also nur geneigt diß schlechte Denckmahl hin!  
 Und kan ich solches nicht in Gold und Marmor äßen,



So bin ich doch gewiß, Dein hochgepriesener Sinn  
 Wird solches als ein Stück entflammter Liebe schätzen:  
 Es sey Dein Ehren-Tag Dir lebenslang ein Glück;  
 Ja, dieses lasse Dich noch viele übersteigen,  
 So wird des Himmels Gunst nach fröhlichen Geschick  
 Einst die Vortreflichkeit von Deinem Wesen zeigen.

Durch dieses wenige gratulirte dem Hoch-  
 geschätzten Herrn Candidato zu seiner  
 Purpur-Würde

ein treuer Freund

C. H. R.

G<sup>a</sup>VDIa post fL seqVIzVr post nV pho  
 etVs bILa ebVs  
 eXVLet VsqVeM noVa sVbsVnt IV r

DoCtor fLor nebVLas non trIste paV  
 esCLs esCLs  
 CLare fVLg VeroqVe DeCore nIz

Quod in tesseram non fucatæ amicitiaæ pro  
 merito Doctoratus honore Tibi

cecini

Franciscus Liedlinger,

Briga - Sileſ. Jurium Candid.

Du



**D**u glaubst nicht, Liebster Freund, wie mirs zu Herzen  
geht,  
Daß ich nicht sehen soll, wie Dir das Hüthgen steht,  
So durch Hyginens Gunst auf Deinen Kopff gekommen,  
Ja, das vielmehr Dein Fleiß ihr aus der Hand genommen.  
Indeß nimm wenigstens den Wunsch geschrieben an,  
Der Dir mehr Gutes gönnt, als mancher denken kan.  
Das Glück paare sich mit Deinem Tugend-Triebe,  
Und helffe Dir sein bald ins Hospital der Liebe.

Hierdurch suchte dem Herrn *Doctori* seine  
aufrichtige Ergebenheit zu bezeugen  
Dessen gehorsamer Freund und Die-  
ner

C. P. Just,  
J.U.Stud.

---

**S**uch hin, Gelehrter Freund, mit Deinem Doctor-  
Huth,  
Und weil der meiste Theil der Menschen dieses liebet,  
Was ihm oft vor der Zeit der Kranckheit übergiebet,  
So mach durch deine Kunst derselben Schaden gut.  
So reiß und lebe wohl nach den erkangten Ehren,  
Und laß mich auch entfernt vom Del der Freundschaftt. leh-  
ren.

J. C. Kloeß,  
Berol. M. March. Jur. Stud.

METRUM



# METRUM LEON - SERPENTINO - VOCALI- CABALISTICUM.

**D**<sup>4</sup>Octus<sup>5</sup>      **D**<sup>4</sup>oct<sup>4</sup>      **d**<sup>3</sup>isturbans<sup>5</sup>      **t**<sup>3</sup>rist<sup>1</sup> f<sup>1</sup>  
<sup>1</sup>adest<sup>2</sup>      <sup>4</sup>or,<sup>4</sup>      <sup>3</sup>ia<sup>1</sup>      <sup>1</sup>ata<sup>1</sup>.

**N**<sup>5</sup>ullus<sup>5</sup>      **h**<sup>4</sup>orr<sup>4</sup>      **s**<sup>5</sup>unt<sup>4</sup> omnibus<sup>3</sup> omn<sup>5</sup> gr<sup>5</sup>

*Proba      Cabalæ*

45      55

12      4

44      5

351      435

331      4

11

*Clarissimo Doctissimoque Domino  
Respondenti posuit*

*Sum.794      Sum.935*

*Summa Sumarum*

1729

**F. W. Prætorius,**

Neo March. Med. Stud.

**N**On ossa vendis floris inania,  
**N**KNOCHENWEBEL, nec temere ruis  
In pulverem non indecorum;  
Sed medicam sobolem & medullam  
Nos eleganti Tu calamo doces,  
Atque eruditis fortiter hostibus  
Pertundis ossa, non sinistris  
Dum rutilas generosus armis.  
Instat cruento gloria prælio,  
Frontemque lauru condecorat Dea.  
Hæc laus inhærescat medullis;  
Ossibus insideat! Quid? Urnæ.

*Nobilissimo Clarissimoque Dn. Candidato, in eadem secum  
provincia oriundo, ex animo gratulaturus scripsit*

**Joh. Andr. Busereit,**

Dresdn.